MASTER NEGATIVE
NO. 93-81317-26

AUTHOR:

SCHULTER, JOSEPH

TITLE:

VESTIGIA POETARUM GRAECORUM...

PLACE:

HADAMARI NASSOVIORUM

DATE:

1870

Master Negative #

93-81317-26

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schlüter, Joseph
Vestigia poetarum Graecorum, quaestionum lyricarum specimen scripsit Josephus Schlueter... Hadamari Nassoviorum, typis expressit Lanz, 1870.
37 p. $23\frac{1}{2}$ cm.

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2/22/93 INITIALS: Kill
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














SCHLUTER
Vestigia poetarum Gr.

VESTIGIA POETARUM GRAECORUM.

QUAESTIONUM LYRICARUM SPECIMEN

SCRIPSIT

JOSEPHUS SCHLUETER, DR. PHIL.
GUESTPHALUS.

HADAMARI NASSOVIORUM

TYPIS EXPRESSIT L. E. LANZ WEILBURGENSIS.

MDCCCLXX.

Vestigia poetarum Graecorum.

Μνάσασθαί τινά φαμι καὶ ὕστερον ἀμμέων.
Sappho fr. 32 ed. Bgk.

Praeclare B. G. Niebuhrius in praefatione hist. Rom. (p. XVI. ed. a. 1853) philologis, qui quidem munere sibi delato religiose fungi velint, hoc esse propositum ait, ut quaecunque veterum populorum ingenia procrearint, ipsi tamquam „internuntii seculorum", studiis indefessis repetant, in lucem proferant, immortalitati tradant. Quid autem est, quod, cum fragmenta ruinae, qua Graecorum lyrica poesis afflicta est, intuemur unice cupimus et optamus? Nonne ardenti commovemur desiderio, clarissimos illos poetas[1]), quorum integra carmina nobis invidit aetas, mente et animo ita complectendi, ut illi in ordinem quodammodo redigantur eorum scriptorum, quibuscum tamquam superstitibus hodieque aetatem degere licet, ut vivo illi sanguine repleti corpus et animam denuo recepisse videantur? Quodsi ex fragminibus illis accuratius inter se ac cum aliorum carminibus comparatis poetarum quae fuerit indoles, quibus virtutibus ars eorum emicuerit, quae summa sint artis praecepta intellectum erit, aliquem certe fructum ad nos inde spero redundaturum.

---

1) Novem principum lyricorum recensum brevem epigrammate **Anthologiae Palatinae** (Jacobs. Del. Epigr. IV, 19) habes propositum:

„Ἔκλαγεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος· ἔπνεε τερπνὰ
ἡδυμελιφθόγγου μοῦσα Σιμωνίδεω.
λάμπει Στησίχορός τε καὶ Ἴβυκος. ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν·
λαρὰ δ'ἀπὸ στομάτων φθέγξατο Βακχυλίδης.
Πειθὼ Ἀνακρείοντι συνέσπετο· ποικίλα δ' αὐδᾷ
Ἀλκαῖος κύκνω Λέσβιος Αἰολίδι.
ἀνδρῶν δ'οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατειναῖς
ἐν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα καταγράφεται."

et, tribus quidem omissis, apud **Horatium** carm. IV, 9:

„Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves camenae;

Nec si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae."

Reliquiae enim quae aetatem tulerunt perpaucae sunt adeoque mutilae ac laceratae, ut iustius sane, quam Schillerus noster Olympiorum evanuisse queritur gloriam, gravissimam illustrium poetarum iacturam deplores. Integra vix duo carmina Sapphonis leguntur, reliqua una nocte premuntur omnia. Non defuerunt quidem viri docti, qui sedulo operam dederunt, ut genuinam versuum qui ad nos pervenerunt formam restituerent. Sed cum in singulari fragmentorum et brevitate et varietate latissimi pateant campi, in quos coniecturarum libido possit excurrere, haud ita pauci in singulis perscrutandis adeo defixi haeserunt, ut illorum quos „in ipso vitae apparatu vita destituit“ (Sen. de brev. vit. 1) haud dissimiles sint existimandi. Horatianam illam „artem fruendi“ (epist. I. 4, 6) dii illis pariter denegavisse videntur ac veterum grammaticis ipsis, qui nulla fere argumenti ratione habita id tantum spectabant, ut vel exquisitiora quaedam verba vel exempla metrica notarent atque in commentarios referrent. Ita accidit, ut modo versus pulcherrimos ac bonitate insignes, modo nullius fere pretii frustula, „disiecta membra poetae“, invenias.

Talis cum Lyricorum sors fuerit, non est certe quod mireris, vel praestantissimos poetas hodie minus notos esse quam Homerum, Sophoclem, Pindarum, Horatium. At vero Horatius ipse, quem nimia, libere dicam, persequimur admiratione, quanti fecerit poetas Graecos, quanto studio imitatus sit[1]), vel leviter in legendo illo versatus quis ignoret? Quaesitam meritis sumens superbiam, quod „princeps Aeolium carmen ad Italos deduxerit modos“, monumentum aere perennius exegisse se gloriatur (carm. III, 30):

„Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.“

Recte ille quidem de se ipso, non falsus profecto vates fuit! Ubi vero exemplaria illa Graeca, iubente Horatio (epist. II. 3, 269) nocturna versanda manu, versanda diurna? Quo aeterna illorum apud posteros fama, quam Graecis Latinus fidicen promisit ac praestitit?

Nihil iam relinquitur, nisi ut parvula illa fragmenta a grammaticis nobis servata denuo percenseamus atque in ordinem quendam redigamus. Cum alio certe animo legat grammaticus, alio poeta vel poetarum amicus, operae sane pretium erit collecta illa denuo excutere atque inde quale fuerit poetarum ingenium constituere. Quod ut efficerem, illa potissimum seligenda putavi, quae et argumento commendarentur et arte essent conspicua. Longe dissentiens a grammaticis illis, qui versiculis temere arreptis antiqua et obsoleta aucupabantur, equidem reiectis subtilioribus quaestionibus ex eadem materia studiis meis apta collegi. Ad ipsos poetas redeundum esse censui, illorum vestigia premenda, ut vere dici possit: μετ' ἴχνια θεοῖο!

Universum lyrices orbem amplecti initio constitueram, sed mox, veritus ne iustos fines excedens nimia appetere viderer, in iis carminum reliquiis, quibus naturae amoenitates praedicantur, subsistendum esse cognovi, repositis ad tempus illis, quae ad res humanas atque divinas spectant. Nunc vero illam potissimum materiam hoc libello tractandam sumere aptissimum visum est, cum mihi, quod valde laetor, in hac amoenissima regione nuper sedes constituta sit. In delectu ipso faciendo cum singula ad certas quasdam species

1) Severissimam de hac re quaestionem instituit Theodorus Arnold commentationibus scholasticis duabus, Halis Saxonum a. 1855 et 1856.

revocari necesse sit, hoc mihi proposui, ut minora quoque fragmenta, quae in anthologiis vulgo omittuntur, accuratius perpensa apte collocarentur. Quod si recte fecisse videar, nescio an etiam post tot tantasque summorum virorum curas (Welckeri, Schneidewini, Bergkii, quos honoris causa nomino) boni aliquid ac doctorum comprobatione digni afferri possit. —

Priusquam vero ad perlustranda singula procedamus, paucis exponere liceat, de veterum, ut simpliciter ita dicam, naturae vel ruris amore quid statuendum videatur. Pervulgata enim est etiamnunc illa a Schillero[1]) profecta opinio, veram ruris amoenitatum aestimationem recentiori demum aetate tamquam novam lucem hominibus esse obortam. At parum caute, non dicam inconsiderate, Schillerum iudicasse virosque illum secutos (prae ceteris Beckerum „Charicles“ I. p. 219 et Gervinum Hist. poes. Germ. I. p. 132 nomino), firmissimis argumentis planum fecit ac probavit vir huius seculi longe eruditissimus, Alexander de Humboldt Berolinensis, qui in opere summo de natura rerum conscripto (T. II. p. 3 – 134) omni quaestioni de hac re instituendae viam munivit. Optime docuit, illam quam nos laudamus naturae pulchritudinem ac venustatem veteres quoque probe sensisse, at quae sentirent multis verbis noluisse aperire.

Perverse sane iudicant ii, qui homines, nisi verbose perscribant, nihil sentire asserunt. Effusam illam in describendo loquacitatem, qua ut magno aliquo, varie idem exprimentes, recentiorum poetae haud pauci[2]) superbiunt, ab ingenua Graecorum simplicitate quam maxime abhorruisse quis non videt? Rerum naturae vel maiestatem vel amoenitatem singularibus decantare carminibus (qualia non nisi evanescente literarum flore exstitisse accepimus) ab illorum natura et indole prorsus alienum fuisse existimandum est, quippe cum omnia ad homines ipsos ac deos referrent.

Laudibus abundant vitae rusticae Romanorum poetae: „Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes.“ (Hor. epist. II. 2, 77). Commoda ruri sibi concessa, aëris salubritatem, convictum humanum, libera studia grata celebrant commemoratione[3]). Graeci, nihil ultra quaerentes, quid lucelli facerent unice securi, laetabantur iucundissimo montium, silvarum, pratorum adspectu, „sub nutrice puella velut si luderet infans“ (Hor. epist. II.

1) „Ueber naive und sentimentale Dichtung.“ III. p. 642 ed. H. Kurz.

2) Memineris quaeso Jacobi Delille Francogalli, Jacobi Thomson Britanni, nostri Henrici Brockes, qui novem descripsit naturam voluminibus, „doctis Juppiter! et laboriosis.“

3) Catonis, diligentis agricolae, optimi patris familias exemplo vitam laudant rusticam, paucis contentam: Virgilius (Eclogis et Georgicis) Tibullus elegiis plerisque, Propertius (I, 18; II, 15) Catullus (c. 31 „Paeninsularum, Sirmio, insularumque ocelle“ c. 44. „O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs“) Martialis (I, 56; III, 58; V, 20); Juvenalis severioris veterum disciplinae acerrimus vindex (III, 223; IV, 166; XI, 65) Cicero de sen. c. 16, inprimis vero Horatius. Cf. Epist. I, 10 „Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus Ruris amatores“, I. 14. „Villice silvarum et mihi me reddentis agelli“, I. 16 „Ne perconteris fundus meus, optime Quinti“, Satir. II. 6 „Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus“, ubi et hi versus pulcherrimi (60 — 63):

O rus, quando ego te aspiciam, quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae!“

Secessus aestivi, villae in regione amoena sitae, gratissima otia epistolis Ciceronis (IX, 8; XIII, 6; ad Quint. fr. III, 1) ac Plinii minoris (I, 3; I, 9; I, 24; II, 18; IV, 6; V, 6; IX, 7; IX, 36) praedicantur.

1, 99). Quare optimo iure Humboldtius, qui quidem lyricos parum cognovisse videtur, Graecorum ingeniis naturam ipsam adeo fuisse accomodatam dicit (l. l. p. 11), ut paene mirandum haberet, si poetae in pangendis carminibus illa locorum opportunitate non ita usi essent[1]).

Quae dicenda arbitrabar praemissis jam ad percensenda lyricorum fragmenta accedamus. Atque ut Aratus ab Iove incipiendum putat, ita nos rite coepturi a vere videmur, cuius laudibus poetae semper maxime delectati sunt. Quod anni tempus illo iucundius, „cum se purpureo vere remittit humus“ (Tibull. III. 5, 4[2]), cum coelo mitissimo omnia laetissime efflorescunt? Qui fuerit splendor, quanta imaginum ubertas in lyricorum Graecorum carminibus, eo praecipue fragmento, quod primo loco ponam, docemur. Pindarus, lyricorum Graecorum princeps, veris redeuntis venustatem carmine celebrat Bacchico, quod totum est vernis rosarum violarumque („ἰοδετᾶν στεφάνων ἐαριδρέπτων“) perfusum odoribus:

„Ἐν Ἀργεία Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει
φοίνικος ἔρνος, ὁπότ᾽ οἰχθέντος Ὡρᾶν θαλάμου
εὔοδμον ἐπαΐωσιν ἔαρ φυτὰ νεκτάρεα.
τότε βάλλεται,
τότ᾽ ἐπ᾽ ἀμβρόταν χέρσον ἐραταί
ἴων φόβαι, ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται,
ἀχεῖ τ᾽ ὀμφαὶ μελέων σὺν αὐλοῖς,
ἀχεῖ τε Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί.“ (fr. 53[3]).

Ver aeternum, quo fruantur beati in insulis illis a mortalium vita remotis, idem poeta depingit vividissimis coloribus:

„Τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω,
φοινικορόδοις δ᾽ ἐνὶ λειμώνεσσι προάστιον αὐτῶν
καὶ λιβάνῳ σκιαρὸν καὶ χρυσέοις καρποῖς βεβριθός.“ (fr. 106*).

Versus qui olim sequebantur quales fuerint, indicat Plutarchus de occulto viv. c. 7: „καὶ τοῖσιν ἀκάρπων μὲν ἀνθηρῶν καὶ σκυθίων δένδρων ἄνθεσι τεθηλὸς ἀναπέπταται πεδίον, καὶ ποταμοί τινες ἄκλυστοι καὶ λεῖοι διαῤῥέουσι . . .“[4]).

---

1) „Wenn anderen Völkern Meer und Land, das Erd- und Seeleben wie zwei getrennte Sphären erschienen sind, so ward dagegen den Hellenen fast überall gleichzeitig der Anblick dessen, was im Contact und durch Wechselwirkung der Elemente dem Naturbilde seinen Reichthum und seine erhabene Größe verleiht. Wie hätten auch jene sinnigen, glücklich gestimmten Völker nicht sollen angeregt werden von der Gestalt waldbekränzter Felsrippen an den tief eingeschnittenen Ufern des Mittelmeeres, von dem stillen nach Jahreszeit und Tagesstunden wechselnden Verkehr der Erdfläche mit den unteren Schichten des Luftkreises, von der Vertheilung der vegetabilischen Gestalten? Wie sollte in dem Zeitalter, wo die dichterische Stimmung die höchste war, sich nicht jegliche Art lebendiger sinnlicher Regung des Gemüthes in idealische Anschauung auflösen?“

2) Cf. Pind. Pyth. IV. 64: „φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ“, Isthm. IV. 18: „χθὼν φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις.“

3) Numeri adiecti sunt editionis Bergkianae minoris (Lipsiae 1868), utpote omnibus modico pretio parabilis; addito asterisco illa notantur fragmenta, quae in maiore tantum editione (Lips. 1853) leguntur.

4) Compares alterum threnorum fragmentum (116) valde quidem corruptum, cuius lacunas coniectura explevit G. Hermannus:

„Ἐντι μὲν χρυσαλακάτου τεκέων Λατοῦς ἀοιδαί
ὥριαι παιανίδες· ἔντι δ᾽ ἐπαντέλλοντος εὐκίσσου στέφανον
ἐκ διθυράμβου μαιόμεναι.“

Ad rerum humanarum vicissitudines reducat nos Ibycus Rheginus[1]). Vere pullulantes describit malos Cydonias et vites, quibus laetissimum concessum tempus, ut in Veneris et Bacchi usum succrescant; sibi vero nihil quietis concedi ab Amore[2]).

---

1) Notissima est Schilleri carmine celebrata mors poetae „dis cari ipsis“, divinae iustitiae clarissimum exemplum.

2) Simili ratione, quam apud Ibycum non recte pervidisse videntur interpretes, apud Schillerum Ceres felicitatem, qua vere renascente fruantur homines, aegritudini suae opponit.

---

et celeberrimam illam sedis ac vitae beatorum descriptionem, quae legitur Olymp. II. v. 61—74:

„Ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεί,
ἴσα δ᾽ ἐν ἀμέραις ἅλιον ἔχοντες ἀπονέστερον
ἐσλοὶ δέκονται βίοτον. οὐ χθόνα χαράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ
οὐδὲ πόντιον ὕδωρ
κεινὰν παρὰ δίαιταν· ἔνθα μακάρων
νᾶσος ὠκεανίδες
αὖραι περιπνέοισιν· ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ᾽ ἀγλαῶν δενδρέων, ὕδωρ δ᾽ ἄλλα φέρβει,
ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ στεφάνοις.“

Horti diis sacri, nullis turbati ventis vere ditissime efflorescentes, saepius a poetis celebrantur. Cf. Eurip. Hippol. 73., ubi castissimus adolescens coronam dedicat Dianae virgini „ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος,

Ἔνθ᾽ οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ
οὔτ᾽ ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ᾽ ἀκήρατον
μέλισσα λειμῶν᾽ ἐαρινὸν διέρχεται·
Αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.“

Similis erat fabula de seculo aureo apud poetas Romanos. Suavissimi sane illi Ovidii versus (Metam. I. 107—112):

„Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.“

Compares etiam celebrem Lucretii descriptionem V. 1378 sq. et Tibullum I. 10. Eiusdem argumenti apud recentiores quosdam poetas fabulae praeclarissimae: Joannis Milton „The Paradise lost“, Ludovici de Camoēs „Insula Veneris“ (Os Lusiadas c. IX. 51—63) et Joannis Almogaver „Regnum Amoris“ (cf. F. W. Hoffmann „Blüthen spanischer Poesie“ p. 140. sq.) Saturnii vel aurei aevi tempora sine morte et morbis, plena amoris ac pulchritudinis, omnium gentium animis infixa haerebant, beatissima a poetis praedicata. Quorum desiderio commotus Horatius quoque suavissimam „divitum insularum“ imaginem depinxit, cum Romanos adhortaretur, ut urbem relinquerent dextera sua pereuntem (Epod. 16, 41 sq.): „Arva, beata

Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea,
Germinat et nunquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem,
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.“

Reliqua quae felices mirentur, apud poetam ipsum legas. — Plura de his rebus disseruerunt Welckerus „Die Homerischen Phäaken und die Inseln der Seligen.“ (Kl. Schr. II. p. 1—80), Wolffius in Mützellii commentariis Berolin. a. 1863 p. 463 sq.. Nägelsbachius „Nachhomer. Theol.“ p. 405 sq.

„Ἦρι μὲν αἵ τε Κυδώνιαι
μαλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν
ἐκ ποταμῶν, ἵνα παρθένων
κῆπος ἀκήρατος, αἵ τ'οἰνανθίδες[1])
αὐξόμεναι σκιεροῖσιν ὑφ'ἕρνεσιν
οἰναρέοις θαλέθοισιν· ἐμοὶ δ'ἔρος
οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν.“ (fr. 1.)

Egregium est carmen integrum, quod inter Anacreontea legitur (c. 44). Totum vernas spirans auras, simplex ac venustum, non in communibus locis commoratur; statim singulae res proponuntur:

„Ἴδε πῶς ἔαρος φανέντος
Χάριτες βρύουσι ῥόδα·
ἴδε πῶς κῦμα θαλάσσης
ἁπαλύνεται γαλήνῃ·
ἴδε πῶς νῆσσα κολυμβᾷ·
ἴδε πῶς γέρανος ὁδεύει.
ἀφελῶς δ'ἔλαμψε Τιταν·
νεφελῶν σκιαὶ δονοῦνται·
τὰ βροτῶν δ'ἔλαμψεν ἔργα·
καρποῖσι γαῖα προκύπτει.
Βρομίου στέφεται νᾶμα
κατὰ φύλλον κατὰ κλῶνα
καθελὼν ἤνθησε καρπός.“

Altero carmine „εἰς τὸ ἔαρ“ (39) describit poeta, quam dulce sit ambulare in pratis zephyro afflante:

„Τὶ καλόν ἐστι βαδίζειν,
ὅπου λειμῶνες κομῶσιν,
ὅπου λεπτὴν ἡδυτάτην
ἀναπνεῖ Ζέφυρος αὔρην.“ κ. τ. λ.

Celebratissimum vero carmen veri dedicatum est Meleagri Gadareni (Brunckii Anal. III. p. 105), laudatum ab Humboldtio l. l. p. 14, cuius initium:

1) Pulcherime Alcman Spartanus gemmas „ὀφθαλμοὺς ἀμπελίνους“ appellavit (fr. 34.)

Conferas etiam Catulli c. 46:

„Iam ver egelidos refert tepores,
Iam coeli furor aequinoctialis
Iucundis zephyris silescit auris.“

et Horatii c. I, 4 „Solvitur acris hiems grata vice veris et favoni“, c. IV. 12: „Iam veris comites, quae mare temperant“, c. IV. 7 „Diffugere nives, redeunt iam gramina campis“, ubi et anni tempora pergrate brevi in conspectu ponuntur versiculis hisce:

„Frigora mitescunt zephyris, ver proterit aestas
interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.“

„Χείματος ἠνεμόεντος ἀπ' αἰθέρος οἰχομένοιο
πορφυρέη μείδησε φερανθέος εἴαρος ὥρη.
γαῖα δὲ κυανέη χλοερὴν ἐστέψατο ποίην
καὶ φυτὰ θηλήσαντα νέοις ἐκόμησε πετήλοις.“ [1])

His adde Sapphonis versus, quibus dulcisona luscinia et hirundo cum zephyris rediens (cf. Horat. epist. I. 7, 13) laudantur, nuntii veris:

Ἦρος ἄγγελος ἱμερόφωνος ἀήδων.“ (fr. 39).
„Τί με Πανδίονις ὦ Ἤραννα χελίδων. (fr. 87*).

Ibyci (fr. 7):

„Τᾶμος ἀΰπνους κλυτὸς ὄρθρος ἐγείρησιν ἀηδόνας.“ [2]).

Simonidis (fr. 73 et 74):

„Εὖτ' ἀηδόνες πολυκώτιλοι
χλωραύχενες, εἰαριναί.
Ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἁδυόδμου,
κυανέα χελιδοῖ.“

Anacreontis (fr. 67): „Ἁδυμελές, χαρίεσσα χελιδοῖ.“
Stesichori (fr. 33): „Ὅταν ἦρος ὥρᾳ κελαδῇ χελιδών.“
Cf. Anacreonteorum c. 9 et, quod argumento simillimum Ibyci fr. 1. supra allato, c. 25:

„Σὺ μὲν φίλη χελιδόν
ἐτησίη μολοῦσα
θέρει πλέκεις καλιήν·
χειμῶνι δ'εἶς ἄφαντος
ἢ Νεῖλον ἢ'πὶ Μέμφιν.
Ἔρως δ'ἀεὶ πλέκει μευ
ἐν καρδίῃ καλιήν.“

Proverbii loco celebrati versus: „ἦλθ', ἦλθε χελιδών“ (Carm. popul. fr. 29) et „ὥρα νέα, χελιδών“ (Aristoph. Equit. 419).

His subiungere liceat reliqua, quae de avium vita ac moribus lyricorum fragmenta exhibent. Quam attente ab illis avium natura sit observata, ostendunt molles illi versus Sapphonis columbarum mortem querentis, humanitatis pleni, quae et poetam decet et puellam (fr. 16):

1) Praeclara est apud Romanos poetas sublimis illa veris descriptio apud Lucretium (I. 1—21), qua omnes veris voluptates ad „almam Venerem“ referuntur (cf. Hymn. Hom. in Venerem 265 sq. et Aeschyl. fr. 38. Dind.):

„Te, Dea, te fugiunt ventei, te nubila coeli,
Adventumque tuum: tibi suaveis daedala tellus
Summittit flores; tibi rident aequora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine coelum.“ (v. 6—9).

2) ἀΰπνους correxit Schneidewinus (Ibyci fr. p. 122), quia neque ὄρθρος ἄϋπνος possit dici et ἀηδόνας epitheton desideret. Cantus lusciniae, quae sola avium noctes canendo agit, saepissime a tragicis adhibetur ad amoris querelas depingendas. Appellatur apud illos luscinia ἀκόρεστος βοᾶς, πάνδυρτος, φιλόδυρτος. Cf. Soph. Oed. Col. 658 sq., El. 147, Aesch. Ag. 1144, Aristoph. Av. 211, Virg. Georg. IV. 511.

„*Ταῖσι δὲ ψῦχρος μὲν ἔγεντο θῦμος,*
παρ δ'ἵεισι τὰ πτέρα“

multaeque felicissimae imagines ab avium natura deductae, qualis illa de puellis pavidis apud Alcmanem (fr. 28):

„*Δῦσαν δ'ἄπρακτα νεανίδες, ὥστ'*
ὄρνεις ἱέρακος ὑπερπταμένω.“

et apud Alcaeum (fr. 27):

„*Ἔπταζον ὥστ' ὄρνιθες ὤκυν*
αἴετον ἐξαπίνας φάνεντα.“ [1])

Ipsorum quoque vitam poetae avium vitae, quasi cognatione aliqua illis sint devincti, comparant. Rapi se in amores profitetur Ibycus, instar avis in altum evolantis:

„*Αἰεί μ', ὦ φίλε θυμέ, τανύπτερος ὡς ὄκα πορφυρίς.*“ (fr. 4)

itemque Anacreon fr. 24:

„*Ἀνατέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις διὰ τὸν Ἔρωτ'.*“

Perdicem cantus magistram veneratus Alcman, omnium avium modos acriter intelligens („*Οἶδα δ'ὀρνίχων νόμως πάντων*“ fr. 67), haec profert (fr. 17):

„*Ἔπη τάδε καὶ μέλος Ἀλκμὰν*
εὗρε, γεγλωσσαμένον
κακκαβίδων στόμα συνθέμενος.“

Pulcherrime vero idem poeta decrepito se comparat cerylo, qui, cum membra non amplius gestare possit, alcyonum alis nixus aërium pervolet iter. Optat igitur, ut ipse, senectute confectus, virginum integris viribus fulciri et usitatis choreis adhuc sese admiscere queat:

„*Οὔ μ'ἔτι παρθενικαὶ μελιγάρυες ἱμερόφωνοι*
γυῖα φέρειν δύναται· βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην,
ὅς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται
νηλεγὲς ἦτορ ἔχων, ἁλιπόρφυρος εἴαρος ὄρνις.“ (fr. 26)

Varia describens avium genera Ibycus vividissima conducit epitheta:

„*Τοῦ μὲν πετάλοισιν ἐπ' ἀκροτάτοις*
σὺν ξανθοῖσιν ποικιλίδες
πανέλοπες καὶ αἰολόδειροι λαθιπορφυρίδες
ἀλκύονες τανυσιπτέρυγοι.“ (fr. 8*)

---

1) Miror hos versus a Bergkio illumque secuto Theodoro Kock (in libello pereleganti „Alkäos und Sappho“ p. 15) inter Stasiotica esse receptos. Hostium strages fortiorem desiderat imaginem, velut illam Bürgeri nostri de vento nubes exagitante: „wie wenn der Wolf die Herde scheucht.“ Verum docent simillimi Alcmanis versus, recte inter Parthenia relati, et Archilochi fr. 105: „*Πτώσσουσαν ὥστε πέρδικα.*“ Longe dispares petuntur a venatione pugnae ac mortis imagines. Memineris tantum, ut nostrum locum intelligas, Chriemhildae virginis, falconem in somnis videntis misere ab aquilis dilaceratum:

„wie sie züge einen valken,
starc, scoen' und wilde,
den ir zwên' aren erkrummen.“

Simile Atossae reginae somnium narratur Aesch. Pers. 206. Cf. Suppl. 223, Prom. 857, Soph. Ajac. 169, Antig. 103.

Iisdem fere Alcaeus utitur, miratus avium ignotarum sibi commeatum, quae appetente hieme calidiora loca petentes mare transmittunt:

„*Ὄρνιθες τίνες οἵδ' ὠκεανῶ γᾶς ἀπὺ πειράτων*
ἦλθον πανέλοπες ποικιλόδειροι τανυσίπτεροι;“ (fr. 84[1])

Festivam denique offert imagunculam Archilochus (fr. 102), cornicem depingens levem ac mobilem:

„*Ὑφ' ἡδονῆς σαλευμένη κορώνη.*“

Loquacitatis exemplum eadem avis in celebri carmine Anacreontico „*εἰς περιστεράν*“ (14):

„*λαλιστέραν μ'ἔθηκας,*
ἄνθρωπε, καὶ κορώνης.“

Quae ne quis tamquam parva fastidiat; veri enim poetae ars vel in minimis cernitur. Contra cavendum esse existimo, ne epithetis speciosis nimiam quandam vim tribuamus, quippe quae minime extra vulgarem usum fuerint posita. Simile quid Graecorum sculptoribus vel optimis probatum videmus: artificia quaedam omnibus erant communia; in adhibendis figuris, quas illi *τυπικάς* appellabant, certus quasi usus paullatim exstitit, ut publici paene juris fierent.

Quae huc usque attuli, modo laudato carmine Anacreontico omnibus numeris absoluto concludere iuvat. Columba quibus gaudiis, qua vitae securitate apud Anacreontem senem fruatur, ad Bathyllum amatum epistolam perferens lepidissime enarrat:

„*Ἐρασμίη πέλεια,*
πόθεν πόθεν πετᾶσαι;
. . . .
τίς εἶ; τί σοι μέλει δέ;
Ἀνακρέων μ'ἔπεμψεν
πρὸς παῖδα, πρὸς Βάθυλλον“ κ. τ. λ.

Carmen elegantissimum, quod vetus quidam interpres a Musis ipsis et Gratiis collata opera compositum esse censuit, totum exscribere deficiente charta iam non licet; moneo tantum, illud a praestantissimis poetis et laudibus cumulatum et imitatione expressum esse[2]).

---

1) Praeclara comparetur Virgilii (Aen. VI. 310 sq.) defunctorum turbae descriptio ad Acherontis undas effusae:

„Ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris inmittit apricis.“

2) Laudo prae ceteris nostrum Augustum Platen (II, 319 „Ei sieh, du holdes Täubchen“), Thomam Moore Britannum, inprimis vero Stephanum Villegas, „Hispanorum Anacreontem“, qui vix viginti annos natus carmina Anacreontea patrio sermone reddidit. Quare cum Graeca ipsa fere ubique legantur, Hispanici vero poetae libellus perraro in manus veniat, praestantissimas strophas hic apponam, quae, metro Sapphico compositae, mira profecto dulcedine commendantur:

„Ya por el cierço, boreal Pegaso,
Dime, de donde sacudiendo vienes
tantos olores de valor Sabeo,
dulce paloma:

Praeter aves lyricis flores maxime in deliciis erant, unde plurimas petebant imagines summa colorum venustate depictas. Imprimis vero „pulchra“ Sappho, praestans illa ingenio, quod ipsius verbis (fr. 123) „χρύσω χρυσότερον“ appellaveris, florum imaginibus delectata esse videtur. Mira tenent suavitate, quae de dilectissima filia praedicavit:

Entre tus plumas de color nevado
palidas mîro del amor violas,
i entre tus uñas de granate llevas
rosas, i flores.“

Interroganti viatori columba puellae epistolam se poetae redditurani respondet; vitam rusticam elevans, iucundam illam ac securam laudat a dilectissimo poeta sibi concessam:

„Mas vale esclava de tan alto dueño
cumplir honrrada liberal sumando;
i entre su blando, i apacible seno
dar mil arrullos.

Quando las mesas sigue, yo le sirvo,
yo le arrebato su mejor bianda,
ya de los dedos de su blanca mano,
ya de su boca.

Elque me estîma, i en el alma adora,
no me castiga, ni me reprehende,
antes en taça de dorado vino
luego me brinda.

Si crece el rayo de la luz Phebea,
yo le doi sombra con amigas alas,
i si la sombra de la noche crece,
yo le caliento.

Assi que passo regaladamente
libre de laços, de temor segura,
o bien dormida sobre sus alambres
guardo su lyra.“

Iterum vertit Villegas eodem metro, quo Anacreon usus erat:

„Amada palomilla,
de donde, di, de donde
vienes, con tanta priessa?“

Unice dignum, quod Anacreontis carmini suavissimo comparetur, apud veteres exstat egregium illud Catulli in passerem Lesbiae, unde versus libentissime hos repeto:

„Lugete, o Veneres Cupidinesque,
et quantum est hominum venustiorum:
passer mortuus est meae puellae,
passer, deliciae meae puellae,
quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat suamque norat
ipsa tam bene quam puella matrem:
nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc modo illuc
ad solam dominam usque pipilabat.“

Belle casu aliquo accidit, ut aves Veneri carissimae eximiis sint poetarum laudibus celebratae.

„Ἔστι μοι κάλα πάϊς, χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
ἐμφέρην ἔχοισα μόρφαν, Κλᾶϊς ἀγαπάτα
ἀντὶ τᾶς ἔγω οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδ᾽ ἐράνναν.“ (fr. 85.)

Praeclare autem sponsam amabili suffusam rubore dulci comparat malo in arboris cacumine relicto:

„Οἶον τὸ γλυκύμαλον ἐρεύθεται ἄκρῳ ἐπ᾽ ὔσδῳ
ἄκρον ἐπ᾽ ἀκροτάτῳ· λελάθοντο δὲ μαλοδρόπηες,
οὐ μὰν ἐκλελάθοντ᾽, ἀλλ᾽ οὐκ ἐδύναντ᾽ ἐφίκεσθαι.“ (fr. 93.)

Gratissimam habes imaginem (repetitam a Tibullo c. III. 4, 31 sq.), qua haud scio an venustior ulla exstet, nisi forte haec:

„Οἴαν τὰν ὐάκινθον ἐν οὔρεσι ποίμενες ἄνδρες
πόσσι καταστείβοισι, χάμαι δέ τε πόρφυρον ἄνθος.“ (fr. 94.[1])

Sponsum mulier ingeniosa procerae arbori:

„Τίῳ σ᾽, ὦ φίλε γάμβρε, κάλως εἰκάσδω;
ὄρπακι βραδίνῳ σε κάλιστ᾽ εἰκάσδω.“ (fr. 104.)

se ipsam, quae amoris stimulis percita procidat sui impotens, flaccido gramini comparat:

---

1) Imitatus est hos versus Catullus c. 11., puellam suam valere iubens:

„Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.“

Idem c. 61, 91 sponsam flori hyacinthino comparat, qualis stet „in divitis domini hortulo“, et in carmine nuptiali (c. 62, v. 39 sq.), Sapphonis haud dubie vestigia secutus, de puella casta omnibus cara post autem repudiata eadem fere usus est imagine:

„Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multae optavere puellae;
Idem quum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae.“

Cf. etiam c. 61, 191 sq. „Uxor in thalamo est tibi ore floridulo nitens:
Alba parthenice velut, luteumve papaver.“

Nihil nisi imitationem esse Catulli paullulo immutatam concedes celeberrimos Ludovici Ariosto versus hosce (Orl. fur. I, 42):

„La Verginella è simile alla rosa
Che' n bel giardin su la nativa spina,
Mentre sola e sicura si riposa,
Nè gregge nè pastor se le avvicina;
L' aura soave, e l' alba rugiadosa,
L' acqua, la terra al suo favor s' inchina;
Giovani vaghi, e Donne innamorate
Amano averne e seni, e tempie ornate.

Ma non sì tosto dal materno stelo
Rimossa viene, e dal suo ceppo verde,
Che quanto avea dagli uomini, e dal cielo
Favor, grazia, e bellezza, tutto perde.“

Eandem puellae falso amore perditae imaginem repetiit Robertus Burns Britannus („To a mountain daisy, on turning one down with the plough“) itemque quid intellectum velit expressis verbis declarans:

„ἀ δέ μ' ἴδρως κακχέεται, τρόμος δὲ
πᾶσαν ἄγρει, χλωροτέρα δὲ ποίας
ἔμμι, τεθνάκην δ' ὀλίγω 'πιδεύης
φαίνομαι ἄλλα." (fr. 2, v. 13 sq.)

Virgines vero, quibus feliciori frui amore obtigerit, praedicat vel coronas nectentes, quas hilariter teneris collis accommodent, vel saltantes in molli gramine:

„Αὐτὰρ ὀραῖαι στεφανηπλόκευν." (fr. 73.)
„Κἀπάλαις ὑποθύμιδας
πλέκταις ἀμπ' ἀπάλᾳ δέρᾳ." (fr. 46.)
„Κρῆσσαί νύ ποθ' ὦδ' ἐμμελέως πόδεσσιν
ὤρχεῦντ' ἀπάλοις ἀμφ' ἐρόεντα βῶμον
πόας τέρεν ἄνθος μάλακον μάτεισαι." (fr. 54.)

Praecipue vero florum reginam, rosam Veneri sacram amasse dicitur Sappho, „τᾶς χρυσοστεφάνου, πολυόλβου Ἀφροδίτας" (fr. 9 et 59) sanctissima sacerdos, ut Hero illa pulcherrima apud Musaeum (v. 67): „περὶ πολλὸν ἀριστεύουσα γυναικῶν Κύπριδος ἀρήτειρα".[1]) Rosam summis effert laudibus, amoris pignus pulcherrimum (cf. Achill.

1) Sapphonis versum

„Βροδοπάχεες ἄγναι Χάριτες, δεῦτε Διός κόραι (fr. 65)

respiciens Philostratus Epist. 71. haec refert: „Ἡ Σαπφὼ τοῦ ῥόδου ἐρᾷ καὶ στεφανοῖ αὐτὸ ἀεί τινι ἐγκωμίῳ, τὰς καλὰς τῶν παρθένων ἐκείνῳ ὁμοιοῦσα." „Veneris sanctissimam sacerdotem" contra famosas adversariorum calumnias palmari disputatione defendit Welckerus (Kl. Schr. II. 80—144). Obsoletas illas ac paene ridiculas fabulas de turpi Sapphonis amore, de saltu Leucadio, alias exsulare iubens, poetriae imaginem, foeda invidiae aerugine obscuratam, pristino nitori restituit. Inepti certe homines qui, ἀπειροκαλίᾳ quadam stolida quid pulchrum esset non videntes, poëtriae amorem crimini verterunt! Equidem Sapphonis laudem praecipuam esse censeo, quod illa, quae homines de se essent confabulaturi leviter curans, uni amori dedita, quae sentiebat ingenue semper professa est. Naturam spirans ipsam nihil arti debuisse, omnia effecisse ingenio videtur; nihil inhonesti, nihil vel leviter conficti vel fucati apud illam reperies. Quare, si Anacreontem Francogallorum, Sapphonem Germanorum indoli finitimam recte dixeris. Totius antiquitatis assensu comprobata, Lesbia puella inter mulieres quotquot fuerunt et inventionis felicitate et sermonis suavitate adeo excellit, ut restituta carmina eius integra vel decem vitae annis redimere cupias. Optime de mirando Sapphonis ingenio existimavit Guil. Heinse, qui epistola ad Gleimium data haec scripsit: „Die Griechen liebten Natur und Wahrheit, und so auch die Sappho. Sie gestand ihre Gefühle und war wahr, weil man ohne diese Freimütbigkeit nichts Großes hervorzubringen vermag: denn die Wahrheit allein macht den Menschen groß und schön." Egregia sane verba, quae Sapphonis illud (fr. 101) reddere videntur:

„Ὁ μὲν γὰρ κάλος, ὅσσον ἴδην, πέλεται ἄγαθος,
ὁ δὲ κἄγαθος αὔτικα καὶ κάλος ἔσσεται."

Longius me abiisse conclament severiores: lusciniae Lesbiae admiratione abreptum me fateor.

„There, in thy scanty mantle clad,
Thy snawy bosom sun-ward spread,
Thou lifts thy unassuming head
In humble guise;
But now the share uptears thy bed,
And low thou lies!

Such is the fate of artless maid,
Sweet flow'ret of the rural shade!

Tat. l. II. init.); maxime vero diligit Pieridum coronas rosaceas, quibus exornentur poetae. Quare mulierem quandam ineruditam post mortem rosarum expertem, diis erraturam invisam ait, diram illi (ut regi Uhlandi nostri citharoedus) imprecans oblivionem:

„Κατθάνοισα δὲ κείσεαι, οὐδέ ποτα μναμοσύνα σέθεν
ἔσσετ' οὔτε τότ' οὔθ' ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις βρόδων
τῶν ἐκ Πιερίας, ἀλλ' ἀφάνης κὴν Ἀΐδα δόμοις
φοιτάσεις πεδ' ἀμαύρων νεκύων ἐκπεποταμένα." (fr. 68.)

In rosa celebranda Anacreonteorum versantur carmina tria, quorum primo (c. 42, v. 6 sq.) haec floris pulcherrimi laus continetur:

„ῥόδον, ὦ φέριστον ἄνθος,
ῥόδον εἴαρος μέλημα·
ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά·
ῥόδον, ᾧ παῖς ὁ Κυθήρης
στέφεται καλοὺς ἰούλους
Χαρίτεσσι συγχορεύων."

Simile alterum (c. 53):

„Στεφανηφόρου μετ' ἦρος
μέλπομαι ῥόδον τέρεινον
συνέταιρον αὐξίμολπον" κ. τ. λ.

Fuse „Ἔρωτος ἄνθος" carmine quod sequitur („ἄλλο εἰς ῥόδον") undique conquisitis laudibus celebratur, adiuncta sub finem fabula illa de rosae ortu, secundum quam quo tempore Venus e Ponto, ex Iovis capite Minerva prodiit, terra genuit rosam a diis nectare aspersam:

„μακάρων θεῶν δ' ὅμιλος,
ῥόδον ὡς γένοιτο, νέκταρ
ἐπιτέγξας ἀνέθηλεν
ἀγέρωχον ἐξ ἀκάνθης
φυτὸν ἄμβροτον Λυαίῳ."

Praeter rosam viola maxime poetarum laudibus est illustrata; flores verni („εὐόδμου ἔαρος φυτὰ νεκτάρεα") illi prae ceteris praedicabantur, in contentionis iudicium vocati celebri Pindari dithyrambo (fr. 53, v. 16—18) supra laudato:

By love's simplicity betray'd,
And guileless trust,
Till she, like thee, all soil'd, is laid
Low i' the dust."

Pergratas Goethii nostri in violam ac rosam silvestrem cantiunculas hic commemorasse sat est.

Quod Sapphonis versus attinet, male illos Theodorus Kock (l. l. p. 31) ad sponsam ipsam revocavit; ex parvulis illis epithalamiorum fragmentis nimia petens, miram profecto fabulam contexuit (p. 35—38). Pulchri floris vel aratro laesi vel pedibus obtriti imaginem ad virginem intactam spectare quis credat? Ad mortem ipsam egregie retulit Virgilius (Aen. IX, 433 sq.):

„Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix conlapsa recumbit:
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur."

„τότε βάλλεται,
τότ' ἐπ' ἀμβρόταν χέρσον ἐραταί
ἴων φόβαι, ῥόδα δὲ κόμαισι μίγνυται.“

atque epigrammate Anthol. Pal. IX. 669 in lucum Amori dedicatum:

„ὀππόθι πορφυρέης ὑπὲρ αὔλακος εἴαρι θάλλει
ὑγρὸν ἴον ῥοδέῃ κιρνάμενον κάλυκι.“

Egregii sunt versus Simonidis de infante mortuo violis tempora redimito (fr. 52):

„Ἰοστεφάνου στόματος γλυκεῖαν ἐδάκρυσαν
ψυχὰν ἀποπνέοντα γαλαθηνὸν τέκος“.

Quibus ex altera parte respondent Ibyci versus de Euryalo parvulo roseis in floribus educato (fr. 5):

„Εὐρύαλε, γλυκέων Χαρίτων θάλος,
καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις
ἅ τ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν“. 1)

Una cum myrto laudantur rosa et viola:

„Πολλὰ μὲν Κυδώνια μᾶλα ποτέρριπτον ποτὶ δίφρον ἄνακτι,
πολλὰ δὲ μύρσινα φύλλα
καὶ ῥοδίνους στεφάνους ἴων τε κορωνίδας οὔλας.“ (Stesich. fr. 27).

„Μύρτα τε καὶ ἴα καὶ ἑλίχρυσος,
μᾶλά τε καὶ ῥόδα καὶ τέρεινα δάφνα.“ (Ibyci fr. 6).

1) Accuratius idem argumentum explicavit Pindarus praestabili illo loco Olymp. VI, 54 sq. de Appollinis filio recens nato:

„κέκρυπτο σχοίνῳ βατίᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ,
ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος ἁβρόν
σῶμα.“

Idem poeta Arcesilam puerum florere dicit Pyth. VI. 64 „ὥτε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ“, gentem Cleonymidarum, quae belli cladibus afflicta Deorum ope novo tandem flore reviruerit, horto similem esse, qui post frigora hiberna vere redeunte laetissimos flores emittat, Isthm. IV. 18: „μετὰ χειμέριον ζόφον χθὼν ὥτε φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις.“ Admodum frequentes sunt metaphorae, quibus suboles vocatur ἔρνος, cf. Prosod. fr. I. 2. Isthm. III. 63. Nem VI. 38. Celeberrimi vero, quos Schillerus (Sponsae Messaniae choro) imitatus est, Homeri versus silvae foliis genera hominum comparantis (Il. VI. 146—149).

Venuste ipsam infantis animam Aiax ille Sophocleus, (v. 558 sq.) pro filio vota faciens, tenero comparat flori, vitales carpenti auras:

„τέως δὲ κούφοις πνεύμασιν βόσκου, νέαν
ψυχὴν ἀτάλλων, μητρὶ τῇδε χαρμονήν.“

Propius ad Simonidis suavissimam imaginem versus accedunt Persii (sat. I. 36) de poeta defuncto:

„Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae?“

Quibus addas illa Shakespearii verba (Hamlet), ipsa quasi floribus fragrantia:

„Lay her i' the earth
And from her fair and unpolluted flesh
May violets spring.“

Welckeri, viri summi, auctoritatem secutus selecta quaedam recentiorum quoque poetarum exempla afferre constitui. Comparatis illis magis elucebit simplex ac nobilis veterum poetarum natura, quibus recentiores quid debuerint, vix aestimari potest. Iuvit sane imaginum poeticarum origines repetere atque quali et veteres et recentiores cognationis vinculo inter se contineantur ostendere. Sed cave praepropere mutuam quandam statuas poetarum imitationem, id quod paene absurdum fuerit. Similia verba, ubi similis res.

Malis quoque additis flores illos apparet amatoria illustrasse argumenta.

Superest, quem paene praeterii, Alcmanis locus egregius (fr. 48), rorem, nocturnam florum nutricem, appellantis filiam Iovis ac Lunae:

„Οἷα Διὸς θυγάτηρ
ἔρσα τρέφει καὶ Σελάνας.“

Epithetis, terminis quodammodo technicis, quamvis in orationis poeticae suppellectili non sint spernenda, ne nimium quid tribueretur, iam supra monui. Quidquid pulchrum est atque in suo genere perfectum, epitheto a floribus petito ornatur; virgines exempli gratia appellantur ῥοδοπάχεες, ῥοδόσφυροι, ἰοστέφανοι, ἰοπλόκαμοι. Quae ubivis fere occurrunt, enumerare longum est ac forte infructuosum.

Poetarum gratia florens cum ver amoenitate sua, lentissimis auris, floribus, dulci avium concentu omnem fere laudem praeripuisse videatur, aestatem, nimio saepe solis ardore homines prementem, poetis minus commendari haud mirabere. Exsecrati sunt molestos dies caniculares et morosus tristisque Hesiodus (Opp. D. 581 sq., Scut. Herc. 93) et mollis Virgilius (Aen. III, 141 sq., X, 273 „Sirius ardor, Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris“). Quanto alacrior Alcaeus, fervidus poeta, qui igneam nihil curans aestatem „adduxisse sitim tempora“ dicit ac vinum afferri iubet, quod sibi solatio sufficiat (fr. 39):

„Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ· τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,
ἁ δ' ὥρα χαλέπα, πάντα δὲ δίψαισ' ὑπὸ καύματος.
ἄχει δ' ἐκ πετάλων Ϝάδεα τέττιξ, πτερύγων δ' ὕπο
κακχέει λιγύραν (πύκνον) ἀοίδαν, ὅτι ποτ' ἂν
φλόγιον καθέταν ἐπιπτάμενον καταυδείη.
ἄνθει δὲ σκόλυμος· νῦν δὲ γύναικες μιαρώταται,
λέπτοι δ' ἄνδρες, ἐπεὶ καὶ κεφάλαν καὶ γόνα Σείριος ἄζει.“

Ardoris aestivi nuntia ac perpetua fere socia laudatur cicada, fidissima illa poetarum amica („ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσα“ Hom. Il. III, 152). Celebratissimum est Goethii versione egregia („Selig bist du, liebe Kleine“) carmen Anacreonticum (32):

„Μακαρίζομέν σε, τέττιξ,
ὅτε δενδρέων ἐπ' ἄκρων
ὀλίγην δρόσον πεπωκώς
βασιλεὺς ὅπως ἀείδεις·
σὰ γάρ ἐστι κεῖνα πάντα,
ὁπόσα βλέπεις ἐν ἀγροῖς,
χὠπόσα φέρουσιν ὧραι.
σὺ δὲ φιλία γεωργῶν,
ἀπὸ μηδενός τι βλάπτων·
σὺ δὲ τίμιος βροτοῖσιν,
θέρεος γλυκὺς προφήτης·
φιλέουσι μέν σε Μοῦσαι,
φιλέει δὲ Φοῖβος αὐτός,
λιγυρὴν δ' ἔδωκεν οἴμην·
τὸ δὲ γῆρας οὔ σε τείρει
σοφέ, γηγενής, φίλυμνε,
ἀπαθής, ἀναιμόσαρκε·
σχεδὸν εἶ θεοῖς ὅμοιος.“ 1)

1) Simillimi praestantes Aristophanis versus (Av. v. 1088—1100) quibus, parvulae cicadae non oblitus, avium vitam curis vacuam lepidissime depinxit poeta:

„εὔδαιμον φῦλον πτηνῶν
οἰωνῶν, οἳ χειμῶνος μὲν
χλαίνας οὐκ ἀμπισχνοῦνται·
οὐδ' αὖ θερμὴ πνίγους ἡμᾶς
ἀκτὶς τηλαυγὴς θάλπει·
ἀλλ' ἀνθηρῶν λειμώνων
φύλλων κόλποις ἐνναίω,
ἡνίκ' ἂν ὁ θεσπέσιος ὀξὺ μέλος ἀχέτας
θάλπεσι μεσημβρινοῖς ἡλιομανὴς βοᾷ.“

Ut luscinia noctes, ita horas meridianas cicada, rore nutrita, canendo agit, hilari animo ac prompto eandem usque repetens cantilenam. Quare saepissime poetis vel ipsis comparatur vel comes „φίλυμνος“ adiungitur. Conferatur praeter Archilochi fr. 142*, Simonidis fr. 173 et 174 Himerius Or. XX. 10, qui Alcaei carmen deperditum respiciens (Bgk. fr. 2) haec narrat: „Ἦν μὲν οὖν θέρος καὶ τοῦ θέρους τὸ μέσον αὐτό, ὅτε ἐξ Ὑπερβορέων Ἀλκαῖος ἄγει τὸν Ἀπόλλωνα, ὅθεν δὴ θέρους ἐκλάμποντος καὶ ἐπιδημοῦντος Ἀπόλλωνος θερινόν τι καὶ ἡ λύρα περὶ τὸν θεὸν ἁβρύνεται· ᾄδουσι μὲν ἀηδόνες αὐτῷ, ὁποῖον εἰκὸς ᾆσαι παρ' Ἀλκαίῳ τὰς ὄρνιθας· ᾄδουσι δὲ καὶ χελιδόνες καὶ τέττιγες, οὐ τὴν ἑαυτῶν τύχην τὴν ἐν ἀνθρώποις ἀγγέλλουσαι, ἀλλὰ πάντα τὰ μέλη κατὰ θεοῦ φθεγγόμεναι.“

Gravi illo increscentis solis tempore, quod aequabilis comitatur apum ac cicadarum stridor, gratissimas arborum umbras, fontium frigus amabile, placidum somnum unice desiderant homines, summopere praedicant poetae, „rite clientes Bacchi somno gaudentis et umbra“ (Hor. epist. II. 2, 78). Celebre est carmen illud Anacreonticum (18), quo poeta „ἀπὸ καύματος ἤδη προδοθείς“ (v. 4) Bathyllum suum invitat, ut sub umbra formosae arboris secum requiescat:

„Παρὰ τὴν σκιὴν Βαθύλλου
κάθισον· καλὸν τὸ δένδρον·
ἁπαλὰς δ' ἔσεισε χαίτας
μαλακωτάτῳ κλαδίσκῳ.
παρὰ δ' αὐτὸν ἐρεθίζει
πηγὴ ῥέουσα πειθοῦς·
τίς ἂν οὖν ὁρῶν παρέλθοι
καταγώγιον τοιοῦτο;“ [1])

Simili suavitate poetica eminent Sapphonis versus fr. 4. Delectatur poetria describendo loco quodam amoeno: imminente luna ex arbore frondes leniter movente frigidam dicit defluere auram ac soporem per membra irrigare:

1) Acute Welckerus l. l. p. 271 ad hoc carmen respexisse coniecit Platonem Phaedr. p. 230, ubi, ipsum verbum καταγωγή repetens, platanum altissimam ad Ilissum vigentem describit, sub qua consederint: „Νὴ τὴν Ἥραν, καλή γε ἡ καταγωγή. ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μάλ' ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον, καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον. ἥ τε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος, ὥστε γε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι. εἰ δ' αὖ βούλει, τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου ὡς ἀγαπητὸν καὶ σφόδρα ἡδύ· θερινόν τε καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χορῷ. πάντων δὲ κομψότατον τὸ τῆς πόας, ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντει ἱκανὴ πέφυκε κατακλινέντι τὴν κεφαλὴν παγκάλως ἔχειν. ὥστε ἄριστά σοι ἐξενάγηται, ὦ φίλε Φαῖδρε.“ His verbis Socrates dilectissimo discipulo cumulatam reddit amoenissimi loci commendationem (p. 229): „Ὁρᾷς ἐκείνην τὴν ὑψηλοτάτην πλάτανον; ἐκεῖ σκιά τ' ἔστι καὶ πνεῦμα μέτριον, καὶ πόα καθίζεσθαι ἤ, ἐὰν βουλώμεθα, κατακλιθῆναι.“

Certarunt laudibus loci cuiusdam reducti, quem obumbret arbor, fons irriget, poetae et Graeci et Latini. Cf. Theocriti c. VII, v. 135—147:

„πολλαὶ δ' ἄμιν ὕπερθε κατὰ κρατὸς δονέοντο
αἴγειροι πτελέαι τε· τὸ δ' ἐγγύθεν ἱερὸν ὕδωρ
Νυμφᾶν ἐξ ἄντροιο κατειβόμενον κελάρυζε.
τοὶ δὲ ποτὶ σκιαραῖς ὀροδαμνίσιν αἰθαλίωνες
τέττιγες λαλαγεῦντες ἔχον πόνον· ἁ δ' ὀλολυγὼν
τηλόθεν ἐν πυκιναῖσι βάτων τρύζεσκεν ἀκάνθαις.
ἄειδον κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών,
πωτῶντο ξουθαὶ περὶ πίδακας ἀμφὶ μέλισσαι.“

„Ἀμφὶ δὲ ψῦχρον κελάδει δι' ὕσδων
μαλίνων, αἰθυσσομένων δὲ φύλλων
κῶμα καταῤῥεῖ.“

Plurima et priscae (Hymn. Hom. in Apollinem, Cererem, Venerem, Pana) et posterioris aetatis (Bucolicorum atque Epigrammatum) exempla collegit Kittlitzius libello nitido „Naturbilder aus der griechischen Lyrik“ (Liegnitii 1867) p. 11, 18 sq., 21—25. Satyrii epigramma breve hic proposuisse sufficiat:

„Ἦ καλὸν αἱ δάφναι, καλὸν δ' ὑπὸ πυθμέσιν ὕδωρ
πιδύει, πυκινὸν δ' ἄλσος ὑποσκιάει
θηλεθάον, ζεφύροισιν ἐπίδρομον, ἄλκαρ ὁδίταις
δίψης, καὶ καμάτου καὶ φλογὸς ἠελίου.“

Huc pertinent etiam epigrammata in platanum, nobilissimam arborem (Iacobsii Del. Epigr. X. 82. 84. 86) et in cicadam (ibid. 55—74).

Latinorum poetarum laudo Horatium, cf. c. I. 1, v. 19—22: „Est qui nec veteris pocula Massici nec partem solido demere de die spernit, nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.“ Carm III. 29, 20 sq: „Iam pastor umbras cum grege languido rivumque fessus quaerit et horridi dumeta Silvani caretque ripa vagis taciturna ventis“ Carm I. 17, 17—22: „Hic in reducta valle caniculae vitabis aestus, hic innocentis pocula Lesbii duces sub umbra.“

Carm. II 3, 5—14:

„Seu maestus omni tempore vixeris
Seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.

Quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitalem consociare amant
ramis? quid obliquo laborat
lympha fugax trepidare rivo?

Huc vina et unguenta et nimium breves
flores amoenae ferre iube rosae.“

Versus 9 sq. optime illustrantur versu Aristophanis Nub. 1008:

„ἦρος ἐν ὥρᾳ χαίρων, ὁπόταν πλάτανος πτελέᾳ ψιθυρίζῃ.“

Celeberrima est descriptio fontis Bandusiae vitro splendidioris (c. III, 13):

„Te flagrantis atrox hora caniculae
nescit tangere. tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebes et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cavis inpositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.“

His adde locos aeque perfectos: Epist. I. 10, 16 sq., Lucretii V, 1391—1406, Virgilii Buc. I. 51—58, II, 8—12, Georg III, 327 sq, Persii III, 5 sq. Haud indignos, quos cum veterum exemplis conferas, iudicabis Jacobi Thomson Britanni versus illos („The seasons“ II.), quibus descripsit meridiationem:

„Thrice happy he! who, on the sunless side
Of a romantic mountain, forest-crown'd,
Beneath the whole collected shade reclines.
Or in the gelid caverns, woodbine-wrought,
And fresh bedew'd with ever-spouting streams
Sits coolly calm; while all the world without
Unsatisfied and sick, tosses in noon.“

Uberrimis laetissimisque fructibus insignis laudatur auctumnus („τέρεινα μάτηρ οἰνάνθας ὀπώρα“ Pind. Nem. V, 6). Pereleganter ille describitur apud Theocritum VII, 143—147:

„Πάντ' ὦσδεν θέρεος μάλα πίονος, ὦσδε δ' ὀπώρας.
ὄχναι μὲν πὰρ ποσσί, παρὰ πλευραῖσι δὲ μᾶλα
δαψιλέως ἁμῖν ἐκυλίνδετο· τοὶ δ' ἐκέχυντο
ὄρπακες βραβύλοισι καταβρίθοντες ἔραζε·
τετράενες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ.“

Laetissima est Anacreontea vindemiae descriptio (c. 58), quae (ut Homerica illa vineti in Achillis scuto effieti Il. XVIII, 5.0—573) ad caelati operis vel imaginis cuiusdam exemplum composita esse videtur:

„Τὸν μελανόχρωτα βότρυν
ταλάροις φέροντες ἄνδρες
μετὰ παρθένων ἐπ' ὤμων,
κατὰ ληνὸν δὲ βαλόντες,
μόνον ἄρσενες πατοῦσιν
σταφυλήν, λύοντες οἶνον
μέγα τὸν θεὸν κροτοῦντες
ἐπιληνίοισιν ὕμνοις,
ἐρατὸν πίθοις ὁρῶντες
νέον ἐς ζέοντα Βάκχον·
ὃν ὅταν πίνῃ γεραιός,
τρομεροῖς ποσὶν χορεύει,
πολιὰς τρίχας τινάσσων.“
κ. τ. λ.

Vini vero virtutes poetarum consensu omnium fuisse celebratas, minime mirum, cum iam ipse Homerus laudibus vini vinosus sit argutus (Horat. Epist. I. 19. 6). Omnia si velim enumerare exempla tempus deficiat, praestantissima tantum proponam Pindari ac Bacchylidis, quibus illi vinum praedicant curas pellens („οἶνον ἀμύντορα δυςφροσυνάων“ Simonid. fr. 86).

„Ἀνίκ' ἀνθρώπων καματώδεες οἴχονται μέριμναι
στηθέων ἔξω, πελάγει δ' ἐν πολυχρύσοιο πλούτου
πάντες ἴσα νέομεν ψευδῆ πρὸς ἀκτάν·
ὃς μὲν ἀχρήμων, ἀφνεὸς τότε, τοὶ δ' αὖ πλουτέοντες
. . . . ἀέξονται φρένας ἀμπελίνοις τόξοις δαμέντες.“ (Pind. fr. 203*)

„Γλυκεῖ' ἀνάγκα
σευομένα κυλίκων θάλπῃσι θυμόν,
Κύπριδος δ' ἐλπὶς διαιθύσσει φρένας

ἀμμιγνυμένα Διονυσίοισι δώροις.
ἀνδράσι δ' ὑψοτάτω πέμπει μερίμνας·
αὐτίχ' ὁ μὲν πόλεων κρήδεμνα λύει,
πᾶσι δ' ἀνθρώποις μοναρχήσειν δοκεῖ·

χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίροισιν οἶκοι,
πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλάεντα καρπὸν
νᾶες ἄγουσιν ἀπ' Αἰγύπτου, μέγιστον
πλοῦτον· ὣς πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ.“ (Bacchylid. fr. 27.)

Habes Horatianum illud (carm. I. 18, 3—6):

„Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque decens Venus?“

Hae laudes vini animos erigentis; ebrietatem vero ac temulentiam poetae, modici ac verecundi Bacchi cultores, horrent et reformidant. Illiberale illud et barbarum, quod dedecet laetam amicorum compotationem. Cf. Pindari fr. 143*, Anacreontis fr. 64 (Horat. carm. I, 18. I, 27).

Poetarum „candidi Liberi“ amantium dux ac signifer exstitit Alcaeus, qui suum illud verbum fecit: „Χαῖρε καὶ πῶ“ (fr. 54*). Ingenium viri fervido vino comparare possis. Vinum („τερένας ἄνθος ὀπώρας“ fr. 61) optimum solatium ac medicamentum praedicat („οἶνος φάρμακον ἄριστον“ fr. 35, cf. fr. 95 „ἐκ μ' ἔλυσας ἀλγέων“); nullam sacra vite prius serendam esse censet arborem (cf. Horat. carm. I, 18):

„Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδριον ἀμπέλω.“ (fr. 44)

Quare quodvis anni tempus, auctumnum, ver, aestatem, hiemem ad bibendum sibi probari dicit (fr. 45. 39. 34), hanc semper carminis summam profitetur: ergo bibamus! Vel maxime facetum et ingeniosum est fr. 41, quo socios poeta excitat, ut largis haustibus bibant ac, cetera divis permittentes, genio indulgeant:

„Πίνωμεν· τί τὸ λύχνον μένομεν; δάκτυλος ἀμέρα.
κὰδ δ' ἄειρε κυλίχναις μεγάλαις αἶ τὰ ποικίλαις·
οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Δίος υἶος λαθικάδεα
ἀνθρώποισιν ἔδωκ'· ἔγχεε κίρναις ἕνα καὶ δύο
πλέαις κακ κεφάλας, ἁ δ' ἑτέρα τὰν ἑτέραν κύλιξ
ὠθήτω.“

His adiicias eiusdem poetae fr. 53 et 57:

„Οἶνος γὰρ ἀνθρώποις δίοπτρον.“
„Οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλάθεα.“

Anacreontis fr. 63:

„Φέρ' ὕδωρ, φέρ' οἶνον, ὦ παῖ,
φέρε δ' ἀνθεμεῦντας ἡμὶν
στεφάνους, ἔνεικον, ὡς δὴ
πρὸς Ἔρωτα πυκταλίζω.“

Bacchylidis fr. 24 de tenera quadam puella Hebes munere fungenti:

„Εὖτε τὴν ἀπ' ἀγκύλης ἵησι τοῖσδε τοῖς νεανίαις
λευκὸν ἀντείνασα πῆχυν.“

eiusdem argumenti Anacreontis fr. 32 et 43. Praeclare dictum Praxillae poetriae inter Scolia legitur (22):

„Σύν μοι πῖνε, συνήβα, συνέρα, συστεφανηφόρει,
σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, σὺν σώφρονι σωφρόνει.“

cui respondet, quod gratissimae Claudii nostri cantilenae „Bekränzt mit Laub den lieben vollen Becher“ apte contuleris, Anacreontis fr. 94:

„Οὐ φιλέω, ὃς κρητῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων
νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει,
ἀλλ' ὅστις Μουσέων τε καὶ ἀγλαὰ δῶρ' Ἀφροδίτης
συμμίσγων ἐρατῆς μνήσκεται εὐφροσύνης.“

Quae Anacreontis vulgo feruntur carmina, missa facio, cum tota illa versentur in vino atque amoribus celebrandis. [1])

Post Bacchum cum et Dianae, deae venatrici, silvarum ac ferarum dominae, summi honores sint habiti (cf. Anacreontis fr. 1:

„Γουνοῦμαι σ' ἐλαφηβόλε
ξανθὴ παῖ Διός, ἀγρίων
δέσποιν' Ἄρτεμι θηρῶν“),

illis, quae modo attuli, imagines a venatione et nobiliorum animalium natura desumtas subiungere placet. Pulcherrime, quem pluribus versibus Virgilius (Aen. VII, 498—502), cervum morientem uno versu depinxit Alcaeus (fr. 97):

„Ἐλάφω δὲ βρόμος ἐν στήθεσι φύει φόβερος.“ [2])

Admodum frequentes sunt apud lyricos translationes a re venatoria ad amores. Lepidissime apud Anacreontem (fr. 52) puella fugiens cum timido hinnuleo componitur:

„Ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα
γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλης κεροέσσης
ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.“

quin etiam cum pullo equino frena non ferente (fr. 75):

„Πῶλε Θρηκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα
νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν;

ἴσθι τοι, καλῶς μὲν ἄν τοι τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι,
ἡνίας δ' ἔχων στρέφοιμί σ' ἀμφὶ τέρματα δρόμου.

νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις·
δεξιὸν γὰρ ἱπποσείρην οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην.“

Utrumque locum apparet imitatum esse Horatium: carm. I, 23 „vitas hinnuleo me similis Chloe“, c. II, 5 „Nondum subacta ferre iugum valet“, c. III, 11, 9 „quae (Lyde)

1) Quod iam Bentleius vidit, pauca Anacreontis genuina admixta esse imitationum farragini, quod nostra aetate comprobavit G. Hermannus, paucissima Anacreontis, pleraque multo recentiorum, quaedam etiam plane imperitorum hominum esse, quis non concedat? Tam diversum haec carmina praebent aspectum, ut unius poetae opus esse credi non possit. At aequitati parum consuluerunt illi critici, qui nihil vere Anacreonticum in Anacreonteis inesse profitentur: non iudicant, quia maligne legunt. Habemus carmina optimae notae, quae re vera, cum priscam spirent simplicitatem, inter praestantissima sunt habenda. Quid enim? Nonne carmina illa in cicadam, in columbam, in Amorem ape laesum, nonne illa, quibus poetae somnium narratur, ver celebratur, quaeque sunt alia, vel summorum nostrae aetatis poetarum (Goethii, Wielandi, Bürgeri, Herderi, Thomae Moore, Esaiae Tegner) laudes tulerunt? Optime de poetica Anacreonteorum natura disputarunt Welckerus l. l. p. 356 sq. et C. B. Stark, Quaest. Anacreontic. libri II. Lips. 1846, p. 11—15.

2) Virgilius l. l.:

„Saucius et quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque imploranti similis tectum omne replebat.“

Ad amores transtulit hanc imaginem Ludovicus Ariosto Orl. fur. XVI, 3:

„Pianger de' quel, che già sia fatto servo
Di due vaghi occhi, e d' una bella treccia,
Vorria il misero fuggire, e come cervo
Ferito, ovunque va porta la freccia.“

velut latis equa trima campis“. Anacreontis fragmento 75 addendum puto fr. 96, amorem renuntians:

„Οὐκέτι Θρηϊκίης πώλου ἐπιστρέφομαι.“

Hinnuleo aequiparari etiam nunc cuivis puellae gratissimum sane erit; minus certe placebit pulli equini imago delicatis nostratium auriculis. Maxime in tali similitudine offendent poetae nostri fere omnes, qui, cum a natura ipsa recesserint, pro Iunone regina idolum aliquod sectati nubes et inania captant. Leves illos lusus amatorios, tot illa amantium suspiria mollibus versibus mandata quis ferre possit? Haud secus ac nonnulli mediae aetatis poetae, quos „Minnesinger“ appellare consuevimus, nostratium plurimi fictum quendam amorem iactant ac praedicant, id quod Anacreonteis quoque, quae ad nostrae aetatis indolem propius accedunt, vitio est vertendum. In amatoria vero poesi „pectus est quod disertum facit.“ Ante omnia videndum, num ex vero poetae sensu profecta sint carmina, num ad singula fata quae poeta perpessus sit respiciant, num toti poetae ingenio sentiendique rationi respondeant. Veterum poetae nativa quadam vi ac vigore impleti, cum plerasque imagines e rerum natura peterent, ita sibi plane persuaserunt, quod verum simplex sincerumque esset, id esse artis indoli aptissimum. Naturam secuti ducem, nunquam a vero aberrarunt.

Iam illuc, unde paululum deflexímus, revertamur. Ingeniose Ibycus, „magno venire fenore sentiens tardum amorem“ (Propert. I. 7, 26), se ipsum comparat multarum palmarum equo, qui aetate iam provectus in certamina ruere dubitet (fr. 2):

„Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις τακέρ' ὄμμασι δερκόμενος
κηλήμασι παντοδαποῖς ἐς ἄπειρα δίκτυα Κύπριδι βάλλει·
ἦ μὰν τρομέω νιν ἐπερχόμενον,
ὥστε φερέζυγος ἵππος ἀεθλοφόρος ποτὶ γήραϊ ἀέκων
σὺν ὄχεσφι θοοῖς ἐς ἅμιλλαν ἔβα.“

Magnifica sane imago, cuius splendor magis enitescet comparatis Horatii versibus carm. IV. 1, 4 sq.:

„Desine dulcium
mater saeva Cupidinum
circa lustra decem flectere mollibus
iam durum imperiis; abi
quo blandae iuvenum te revocant preces.“

carm. I. 19 „Mater saeva Cupidinum“, carm. III. 26, „Vixi puellis nuper idoneus“, epist. I. 1, 8 sq. „Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.“ Animo tranquillo ac moderato loquitur Horatius, cum Rheginus poeta, quem iure ἐρωτομανέστατον appellarunt, totum se profiteatur deditum amori. Alter quasi sedatus amnis fluit, alter ingenii fervore incitatior fertur. [1])

Huc referendae duae restant imagines, ab aurigae arte ad cantum atque amores translatae, simplici venustate insignes: „Ἀοιδὰ γλυκερὸν κυλίκεσσι κέντρον“ (Pind. fr. 101.)

„Ὦ παῖ παρθένιον βλέπων,
δίζημαί σε, σὺ δ' οὐ κλύεις

1) Egregie nuper vertit Ibyci versus Em. Geibel (Leutschii Philol. XXVIII, 2).

οὐκ εἰδώς, ὅτι τῆς ἐμῆς
ψυχῆς ἡνιοχεύεις.“ (Anacreontis fr. 4.)

Simili imagine gaudet Pindarus, fr. 198 Spem praedicans, quae senis iusti ac pii fortunam tamquam fidus equus iugalis comitetur:

„Γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα γηροτρόφος συναορεῖ
ἐλπίς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ.“

Hiemem denique, quamquam est ingratissimum anni tempus, a poetis neque silentio praetermissam, neque omni honore destitutam fuisse videbimus. Irruentem hiemem describit Anacreon (fr. 7) — ut Horatii versus Epod. 13 declarant: „Horrida tempestas coelum contraxit et imbres Nivesque deducunt Iovem“ — procul dubio ad bibendum socios excitans:

„Μεὶς μὲν δὴ Ποσιδηϊὼν
ἕστηκεν, νεφέλης δ' ὕδωρ
ὄμβριον Δία τ' ἄγριοι
χειμῶνες κατάγουσιν.

Item Archilochus (fr. 5) sub Iove frigido cum sociis excubias agens vinum afferri iubet:

„Ἀλλ' ἄγε, σὺν κώθωνι θοῆς διὰ σέλματα νηός
φοίτα καὶ κοίλων πώματ' ἄφελκε κάδων,
ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός· οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς
νήφειν ἐν φυλακῇ τῇδε δυνησόμεθα.“

Etiam Simonidi calamitas erat (in lusum descendam) virtutis occasio:

Πῖνε, πῖν' ἐπὶ συμφοραῖς.“ (fr. 14).

Alcaeus vero, qui ubique titulum ut dicunt bibendi reperisse videtur [1]), „neque si male cesserat usquam decurrens alio, neque si bene“ (Horat. sat. II. 1, 31) „sic tristes adfatur amicos“:

„Ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ' ὀράνω μέγας
χείμων, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥόαι.
κάββαλε τὸν χείμων', ἐπὶ μὲν τίθεις
πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως
μέλιχρον, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ
μάλθακον ἀμφιτίθει γνόφαλλον.“ (fr. 34.)

Verbum prope verbo reddens imitatus est Alcaeum Horatius carm I, 9 „Vides ut alta stet nive candidum Soracte...“ Addo versiculum Ibyci, agros densas bibere nives dicentis (fr. 17):

„Πυκινὰς πέμφιγας πιόμενοι.“

Comparantur cum hiemis pertinacis atrocitate, tempestatibus, nubibus — ut secundae res cum luce et die: *„ἀσυχίας τὸ φαιδρὸν φάος“* Pind. fr. 86 — res adversae, graves fortunae casus, bellum pestiferum, pugnae, mors:

„Θνατοῖσι δ' οὐκ αὐθαίρετοι
οὔτ' ὄλβος οὔτ' ἄκαμπτος Ἄρης οὔτε πάμφθερσις στάσις,
ἀλλ' ἐπιχρίμπτει νέφος ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλαν
γαῖαν ἁ πάνδωρος αἶσα.“ (Bacchylid. fr. 36.)

1) Cf. Athen. X. p. 430. *„κατὰ γὰρ πᾶσαν ὥραν καὶ πᾶσαν περίστασιν πίνων ὁ ποιητὴς οὗτος εὑρίσκεται.“*

„Ἐρατὴν γὰρ ἀπωλέσαμεν νεότητα
τρηχεῖαν πολέμου δεξάμενοι νεφέλην.“ (Simonid. fr. 89.)

Mors ipsa, quae quasi noctem oculis obducat, Simonidi est *νέφος* (fr. 96):

„Κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος.“

Curas et dolores ventis committit Sappho (fr. 17):

„Τὸν δ' ἐπιπλάζοντ' ἄνεμοι φέροιεν
καὶ μελεδώνας.“ [1])

Praelare saevi amoris impetum procellae imagine illustratum videmus a Sapphone (fr. 42):

„Ἔρος δαὖτ' ἐτίναξεν ἔμοι φρένας,
ἄνεμος κατ' ὄρος δρύσιν ἐμπέσων.“

fortius ab Ibyco (fr. 1):

„Ἐμοὶ δ' ἔρος
οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν, ἅθ' ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων
Θρηΐκιος βορέας,
ἄσσων παρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις μανίαισιν ἐρεμνὸς ἀθαμβὴς
ἐγκρατέως παιδόθεν φυλάσσει
ἡμετέρας φρένας.“

Percuti ab Amore sibi videtur hiemalique lavari fluvio Anacreon (fr. 48):

„Μεγάλῳ δηὖτέ μ' Ἔρως ἔκοψεν ὥστε χαλκεύς
πελέκει, χειμερίῃ δ' ἔλουσεν ἐν χαράδρῃ.“

His proximas addere placet maris ac navigationis imagines. Egregie depinxit Simonides Orphei vatis cursum maritimum, omnia cantu mire mulcentis:

„Τοῦ καὶ ἀπειρέσιοι
ποτῶντ' ὄρνιθες ὑπὲρ κεφαλᾶς, ἀνὰ δ' ἰχθύες ὀρθοί
κυανέου ἐξ ὕδατος, ἅλλοντο καλᾷ σὺν ἀοιδᾷ.
Ὡς ὁπόταν χειμέριον κατὰ μῆνα πινύσκῃ
Ζεὺς ἤματα τέσσαρα καὶ δέκα, λαθάνεμόν τέ μιν
ὥραν καλέοισιν ἐπιχθόνιοι
ἱρὰν παιδοτρόφον ποικίλας
ἀλκυόνος.“ [2])

1) Recte emendasse mihi videor *μελεδώνας*, cum vulgo legatur *μελεδώναις*. *τὸν* autem facile referri ad verbum *σταλαγμός*, quod praecesserit, perspexit iam Bergkius (cf. Et. M. 576, 25: *„Αἰολεῖς σταλαγμὸν τὴν ὀδύνην“*). Compares Horatii versus carm. 1, 26:

„Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.“

2) Coniunxi fr. 40 et 12. Schneidewinus, ut succum suum et sanguinem poetae redderet, interposuit fr. 41, cui ibi locum fuisse mihi parum persuasit:

„Οὐδὲ γὰρ ἐννοσίφυλλος ἄητα τότ' ὦρτ' ἀνέμων,
ἅ τις κατεκώλυε κιδναμέναν μελιαδέα γᾶρυν
ἀραρεῖν ἀκοαῖσι βροτῶν.“

Certe Simonidis versus multo praestant illi Arionis, citharoedorum suae aetatis principis, hymno in Neptunum, quo ipse poeta delphino vectum ad Taenarum promontorium appulisse se narrat. Mihi quidem hic hymnus adeo friget, ut ab „aquae potore“ quodam conscriptum putem atque acutissimam illius

Ingentis aequoris, quale uno depinxit versu Simonides (fr. 27 *):

„Μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ.“,

procellarum, naufragiorum imagines has proposuerunt poetae:

„Τὸ δηὖτε κῦμα τῶν προτέρων ὄνω
στείχει, παρέξει δ' ἄμμι πόνον πόλυν
ἄντλην, ἐπεί κε νᾶος ἐμβᾷ.“ (Alc. fr. 19)

„Ἴσχει δέ με πορφυρέας ἁλὸς ἀμφιμαρασσομένας ὀρυμαγδός.“ (Simonid. fr. 51)

„Γλαῦκ', ὅρα, βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασι ταράσσεται
πόντος, ἀμφὶ δ' ἄκρα Γυρέων ὀρθὸν ἵσταται νέφος,
σῆμα χειμῶνος· κιχάνει ἐξ ἀελπτίης φόβος.“ (Archil. fr. 54)

„Ψυχὰς ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις.“ (id. fr. 23)

Traduxerunt poetae navigationis (*„θαλασσίου βίου“* Archiloch. fr. 51.) imagines ad hominum sortem et conditionem, tot vicibus agitatam et turbatam [1]). Celebris est Horatii imitatione (carm. I, 14 „O navis, referent in mare te novi fluctus?“) descriptio illa reipublicae bello civili vexatae, quam navis fluctibus obrutae imagine illustravit Alcaeus (fr. 18):

„Ἀσυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν·
τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
νᾶϊ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ,

χείμωνι μοχθεῦντες μεγάλῳ μάλα·
περ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει,
λαῖφος δὲ πὰν ζάδηλον ἤδη
καὶ λάκιδες μέγαλαι κατ' αὐτο·

χόλαισι δ' ἄγκυραι.“

Festivos adiicere libet Anacreontis versus (fr. 90), aniculam quandam undis loquacibus comparantis:

---

censuram noto veterum verbo contineri censeam: *οὐδὲν πρὸς Διόνυσον.* Etiam Boeckhius obscuri carmen esse poetae dicit, qui Arionem ista loquentem fecerit; Bergkio novitium omnino videtur, quod ante Euripidis aetatem vix potuerit componi. Veri poetae ingenium produnt hi Simonidis versus ex hymno in Neptunum composito (fr. 23):

„Λευκᾶς καθύπερθε γαλάνας
εὐπρόσωποί σφας παραΐξαν ἔρωτες ναΐας
κλαΐδος χαραξιπόντου δαιμονίαν ἐς ὕβριν.“

Maris tranquillitas (*ἡ γαλήνη*) laudatur eiusdem poetae fr. 24*:

„Ἁπαλὸς δ' ὑπὲρ κυμάτων χεόμενος
πορφύρεα σχίζει περὶ πρῴραν τὰ κύματα.“

et Alcaei fr. 16*:

„Βλήχρων ἀνέμων ἀχείμαντοι πνόαι.“

1) Praeter ceteros Aeschylum his imaginibus delectatum fuisse Eduardus Muellerus, Odofredi frater, demonstravit in libello praestanti „Ueber Sophokleische Naturanschauung“ p. 24 (Liegnitii 1842).

„Μηδ' ὥστε κῦμα πόντιον
λάλαζε, τῇ πολυκρότῃ
σὺν Γαστροδώρῃ καταχύδην
πίνουσα τὴν ἐπίστιον.“

Finituri hanc quaestionis partem insigni quodam artis poeticae specimine seposuimus illustre Simonidis fragmentum (37) e Threnis nobis servatum. Infelix Danae, cum puerulo fluctibus marinis tradita, in alto iactata acerbissimum fatum suum queritur, quietem precatur:

„Ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ
ἄνεμος τέ μιν πνέων κινηθεῖσά τε λίμνα
δείματι ἤριπεν, οὔτ' ἀδιάντοισι παρειαῖς
ἀμφί τε Περσέϊ βάλλε φίλαν χέρα,
εἶπέ τ'· ὦ τέκος, οἷον ἔχω πόνον·
σὺ δ' ἀωτεῖς, γαλαθηνῷ τ' ἤτορι κνώσσεις ἐν ἀτερπεῖ
δούρατι χαλκεογόμφῳ,
νυκτὶ ἀλαμπεῖ κυανέῳ τε δνόφῳ σταλείς·
ἅλμαν δ' ὕπερθε τεᾶν κομᾶν βαθειᾶν
παριόντος κύματος οὐκ ἀλέγεις,
οὐδ' ἀνέμου φθόγγον,
πορφυρέᾳ κείμενος ἐν χλανίδι, καλόν πρόσωπον.
Εἰ δέ τοι δεινὸν τό γε δεινὸν ἦν,
καί κεν ἐμῶν ῥημάτων λεπτὸν ὑπεῖχες οὖας.
κέλομαι δ', εὗδε βρέφος, εὑδέτω δέ πόντος,
εὑδέτω δ' ἄμετρον κακόν·
μεταιβολία δέ τις φανείη, Ζεῦ πάτερ, ἐκ σέο·
ὅτι δέ θαρσαλέον ἔπος
εὔχομαι νόσφιν δίκας, σύγγνωθί μοι.“

Haec Danaes mollissima lamentatio, cui compares Europae Horatianae querelas (carm. III, 27, v. 25—56). Ad vivum expressum admiramur amantissimae matris, desertae a marito, desertae a patre, aestuantem animum. „Illud autem“, inquit Schneidewinus (Simonid. carm. reliquiae p. 69), „ingeniose administravit poeta, ut vel Danaam mulierculam et exacerbatis fluctibus cum carissimo pignore iactatam precibus ad Iovem fusis, calamitatis auctorem, postremo laetiorem spem concipientem fecerit: praeclarum solamen pectori instillaturus eorum, quorum in gratiam threnum hunc scripserat.“

Iam et nos, placidos post procellas nacti dies Halcyoneos (cf. Simonidis fr. 12 supra allatum) nitido lumine per coelum diffuso, ad laetiores imagines redeamus. Restat enim, ut quam splendide coelestium illorum, quibus summa naturae maiestas proditur, solis, lunae, siderumque reliquorum adspectum lyrici Graecorum depinxerint, paucis explanemus. Egregius statim nobis obvenit Stesichori locus (fr. 8) solis occasum describentis:

„Ἀέλιος δ' Ὑπεριονίδας δέπας ἐσκατέβαινεν
χρύσεον, ὄφρα δι' Ὠκεανοῖο περάσας
ἀφίκοιθ' ἱερᾶς ποτὶ βένθεα νυκτὸς ἐρεμνᾶς
ποτὶ ματέρα κουριδίαν τ' ἄλοχον παῖδάς τε φίλους·

ὁ δ' ἐς ἄλσος ἔβα
δάφναισι κατάσκιον ποσσὶ παῖς Διός."

Etiam **Mimnermus** aureo poculo Solem per noctem ferri dicit, ex laboribus quos dies pararit conquiescentem (fr. 12):

„Ἠέλιος μὲν γὰρ ἔλαχεν πόνον ἤματα πάντα,
οὐδέ ποτ' ἄμπαυσις γίγνεται οὐδεμία
ἵπποισίν τε καὶ αὐτῷ, ἐπεὶ ῥοδοδάκτυλος Ἠώς
Ὠκεανὸν προλιποῦσ' οὐρανὸν εἰσαναβῇ·
τὸν μὲν γὰρ διὰ κῦμα φέρει πολυήρατος εὐνή
κοΐλη, Ἡφαίστου χερσὶν ἐληλαμένη
χρυσοῦ τιμήεντος, ὑπόπτερος, ἄκρον ἐφ' ὕδωρ
εὕδονθ' ἁρπαλέως χώρου ἀφ' Ἑσπερίδων
γαῖαν ἐς Αἰθιόπων, ἵνα δὴ θοὸν ἅρμα καὶ ἵπποι
ἑστᾶσ', ὄφρ' Ἠὼς ἠριγένεια μόλῃ·
ἔνθ' ἐπέβη ἑτέρων ὀχέων Ὑπερίονος υἱός." [1]).

1) Duo haec fragmenta affabre sermone patrio reddiderunt E. Curtius et Em. Geibel in libello politissimo „Klassische Studien" (Bonnae 1840), cuius fasciculus alter propter doctorum multorum ἀφιλοκαλίαν, iam a Welckero graviter accusatam, frustra exspectatur.

Et Stesichori et Mimnermi carmini aequiparandos iudico Aeschyli versus, qui leguntur inter fragmenta Heliadum et Promethei Soluti (Fr. 71. et 202. ed. Herm. Lips. 1852):

„Ἔνθ' ἐπὶ δυσμαῖσι τεοῦ
πατρὸς Ἡφαιστοτυκὲς
δέπας, ἐν τῷ διαβάλλει
πολὺν οἰδματόεντ' ἀμφίδρομον
πόρον, εἰς μελανίππου
προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν."

„Φοινικόπεδόν τ' ἐρυθρᾶς ἱερὸν
χεῦμα θαλάσσης,
χαλκοκεραυνόν τε παρ' Ὠκεανῷ
λίμναν παντοτρόφον Αἰθιόπων,
ἵν' ὁ παντόπτας Ἥλιος αἰεὶ
χρῶτ' ἀθάνατον κάματόν θ' ἵππων
θερμαῖς ὕδατος
μαλακοῦ προχοαῖς ἀναπαύει."

Ut praestantes hi trium poetarum versus penitus intelligantur, meminisse nos oportet, veteres poetas beatorum sedes, domos somniorum, hortos Hesperidum, ipsam Atlantidem insulam occidentem versus in extremis orbis terrarum terminis collocasse, ubi discedens Sol, afflatu maritimo gaudens, placidiori lumine illustrare omnia videretur.

Imitata est Graecos poetas Elisa Kulman, poetria ingeniosa ac literarum Graecarum optime perita, id quod neminem adhuc vidisse mirarer, nisi doctorum vulgus talia scirem non curare. Versus praestantissimos hic apponere liceat:

„Der Sonnenwagen nahet
Dem letzen Himmelsabhang,
An dessen Fuße plätschernd
Die Meereswellen tanzen.
Die Sonnenpferde strengen
Sich an, der nahen Kühlung
Sich freuend und der Ruhe.
Seht! eine Silberbrücke
Schwimmt auf dem Meer und führet
Die Sonne zu dem Schiffe,
Worin, tief eingeschlummert,
Sie auf des breiten Weltstroms
Entlegenem Gewoge
Zum Morgenthor zurückfährt,
Um Sterblichen und Göttern
Den neuen Tag zu bringen."

Solis defectum, quo summopere mortales omnes conturbentur, describit **Archilochus** (fr. 76*):

„Χρημάτων ἄελπτον οὐδέν ἐστιν οὐδ' ἀπώμοτον
οὐδὲ θαυμάσιον, ἐπειδὴ Ζεὺς πατὴρ Ὀλυμπίων
ἐκ μεσημβρίης ἔθηκε νύκτ', ἀποκρύψας φάος
ἡλίου λάμποντος· λυγρὸν δ' ἦλθ' ἐπ' ἀνθρώπους δέος.
ἐκ δὲ τοῦ καὶ πιστὰ πάντα κἀπίελπτα γίγνεται
ἀνδράσιν· μηδεὶς ἔθ' ὑμῶν εἰσορῶν θαυμαζέτω,
μηδ' ὅταν δελφῖσι θῆρες ἀνταμείψωνται νομόν
ἐνάλιον καί σφιν θαλάσσης ἠχέεντα κύματα
φίλτερ' ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ' ἡδὺ ἦν ὄρος."

Archilochum imitatus esse videtur Horatius carm. I. 2, v. 8—12, quos versus, etsi Ovidiano quodam tumore turgescentes, perperam damnavit Peerlkampius.

Solem ipsum allocutus, sine quo nec corporibus vigor esset nec mentibus sapientia, idem argumentum tractavit **Pindarus** nobilissimo Hyporchematum fragmento quarto. Gravia timet mala ex solis defectione oritura: messium iacturam, infensam nivium vim, ventorum intemperantiam et imbrium, belli tumultus, diluvium denique atque universi generis humani interitum. Haec mala deprecatur pius poeta:

„Ἀκτὶς Ἀελίου, τί πολύσκοπ' ἐμήσαο θοῶν μᾶτερ ὀμμάτων;
ἄστρον ὑπέρτατον ἐν ἀμέρᾳ κλεπτόμενον,
ἔθηκας ἀμάχανον ἰσχὺν ποτανὰν ἀνδράσι καὶ σοφίας ὁδόν, ἐπεὶ σκότου
ἀτραπὸν ἐσσυμένα

Iam videmus veterum illas rubentis vesperi imagines proxime ad nostrorum poetarum naturam accedere atque intimum illud indicare summae cuiusdam beatitudinis desiderium, quo tenentur quos romanticos appellant. Omnes vero poetas et veteres et recentiores superavit Goethius noster, qui Faustum suum solis occidentis lumina contemplatum quae sentiret hisce versibus suavissimis eloquentem fecit, ipse divino quodam spiritu inflatus:

„Sie rückt und weicht, der Tag ist überlebt,
Dort eilt sie hin und fördert neues Leben.
O daß kein Flügel mich vom Boden hebt,
Ihr nach und immer nach zu streben!
Ich säh im ewigen Abendstrahl
Die stille Welt zu meinen Füßen,
Entzündet alle Höhn, beruhigt jedes Thal,
Den Silberbach in goldne Ströme fließen.
Nicht hemmte dann den göttergleichen Lauf
Der wilde Berg mit allen seinen Schluchten;
Schon thut das Meer sich mit erwärmten Buchten
Vor den erstaunten Augen auf.
Doch scheint die Göttin endlich wegzusinken;
Allein der neue Trieb erwacht,
Ich eile fort, ihr ew'ges Licht zu trinken,
Vor mir den Tag, und hinter mir die Nacht,
Den Himmel über mir und unter mir die Wellen."

Similia conferas, ut libet, gratissima Uhlandi carmina: „Sonnenwende", „Abendwolken", „Ruhethal", tota impleta desiderio illo, de quo ante dixi.

ἐλαύνεις τι νεώτερον ἢ πάρος.
ἀλλά σε πρὸς Διός, ἱπποσόα, σ' ἱκετεύω,
ἀπήμον' ἔσ' ὄλβον τινὰ τράποις Θήβαις, ὦ πότνια, πάγκοινον τέρας.
πολέμου δ' εἰ σᾶμα φέρεις τινός, ἢ καρποῦ φθίσιν, ἢ νιφετοῦ σθένος ὑπέρφατον,
ἢ στάσιν οὐλομέναν,
ἢ πόντου κενέωσιν ἀνὰ πέδον,
ἢ παγετὸν χθονός, ἢ νότιον θέρος ὕδατι ζακότῳ διερόν,
ἢ γαῖαν κατακλύσαισα θήσεις ἀνδρῶν νέον ἐξ ἀρχᾶς γένος,
ὀλοφύρομαι οὐδέν ὅ τι πάντων μέτα πείσομαι.“

Graecos illorum quae de natura rerum quaeruntur parum peritos subita solis defectione tanto pavore fuisse perculsos non est quod mirere. In hac amoenissima terra, sub hoc sole sereno omnia illis erant gaudia; hodie vivendum esse dicebant, hodie amandum:

„Ἔγω δέ φίλημ' ἀβροσύναν, καί μοι τὸ λάμπρον
ἔρος . . . ἀελίω καὶ τὸ κάλον λέλογχεν.“

Sic Sappho, *„γυνὴ μέν πρὸς ἀλήθειαν οὖσα καὶ ποιήτρια“* (Athen. XV. 687), ingenue quae sentiat profitetur (fr. 79). Conferas etiam fr. 137 *, quod in tetrametros ionicos redegit G. Hermannus:

„Ἀποθνάσκειν κακόν, οἱ θεοὶ γὰρ οὕτω κεκρίκασιν·
Ἀπέθνασκον γὰρ ἄν, αἴπερ ἦν καλὸν δὴ μ' ἀποθνάσκειν.“

et fr. 136 *:

„Ἀλλ' οὐ γὰρ θέμις ἐν μοισοπόλῳ οἰκίᾳ
θρῆνον ἔμμεναι· οὐκ ἄμμι πρέπει τάδε.“

Satis lepide Praxilla quoque poetria Adonim ad inferos decessurum lucis desiderium his prodidisse verbis finxit:

„Κάλλιστον μὲν ἐγὼ λείπω φάος ἠελίοιο,
δεύτερον ἄστρα φαεινὰ σεληναίης τε πρόσωπον
ἠδὲ καὶ ὡραίους σικύους καὶ μῆλα καὶ ὄγχνας.“ (fr. 2)

Contemto fere sole recentiorum poetae permulti lunam immodicis efferunt laudibus; lamentantes nugas nescio quas amatorias effundunt, mira somnia fingunt, id quod a veterum temperantia, praecipue vero a Graecorum ingeniorum alacritate ac vigore prorsus alienum fuisse vel tantillis lyricorum reliquiis satis probatur. Audias Sapphonem, quae astrorum ordines „tacitae per amica silentia lunae“ 1) incedentes mirata, abscondere illos ait lucidam faciem praenitente luna (fr. 3):

„Ἄστερες μὲν ἀμφὶ κάλαν σελάνναν
ἂψ ἀποκρύπτοισι φάεννον εἶδος,
ὄπποτα πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ
γᾶν . . . ἀργυρία.“ 2)

---

1) Virg. Aen. II, 255.

2) Cf. Ovidii Metam. VII, 179 sq.:

„Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent,
Efficerentque orbem. Postquam plenissima fulsit,
Ac solida terras spectavit imagine Luna . . . . .“

Horatii Epod. 15: „Nox erat et coelo fulgebat luna sereno Inter minora sidera.“ Aperte imitatus est Sapphonis versus Horatius carm. I. 12, 46 sq.:

Altero fragmento (53) lunae plenae ortum describit, feminarum sacris nocturnis celebratum:

„Πλήρης μὲν ἐφαίνεθ' ἁ σελάνα,
αἱ δ' ὡς περὶ βῶμον ἐστάθησαν.“ 1)

Par erat Hesperum, quem stellam Veneris appellare consuevimus, „optata portantem maritis“ (Catull. c. 64, 328), in Sapphonis Epithalamiis singulari laude decorari (fr. 133* et 95*):

„Ἕσπερε, κάλλιστος . . . ἄστρων πόλυ πάντων.“ 2)

„micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes
Luna minores.“

Ut Horatius his verbis Marcellum, gentis Iuliae decus pulcherrimum, lunae comparavit plenae, sic Ibycus adolescentis cuiusdam venustatem stellarum splendori similem praedicat (fr. 3):

„Φλεγέθων, ἅπερ κατὰ νύκτα μακρὰν
σείρια παμφανόωντα.“

Addere iuvat praeclaros illos versus, quibus Chriemhilda virgo pereleganter depingitur, cum Sigfridus tandem aliquando illam conspexerit: comparandam vel aurorae inter nubes effulgenti vel lunae laetissimo nitenti vultu („Der Nibelunge Nôt“ V. 281. 283):

„Nu gie diu minneclîche alsô der morgenrôt
tuot ûz den trüeben wolken.“
„Sam der liehte mâne vor den sternen stât,
der scîn so lûterlîche ab den wolken gât,
dem stuont siu nu gelîche vor maneger frouwen guot.“

Similem ab Uhlando expressam habes reginae imaginem iuxta regem in solio sedentis:

„Der König furchtbar prächtig, wie blut'ger Nordlichtschein,
Die Königin süß und milde, als blickte Vollmond drein.“

Audacius Waltherus noster dilectissimam puellam ex comitum turba eminentem („daz werde wîp“) soli ipsi comparavit (5, 15):

„alsam der sunne gegen den sternen stât.“

Apte contra atque optime Schillerus („Räuber“ III, 2) fortis viri mortem solis occasu illustravit: „Wie herrlich die Sonne dort untergeht! So stirbt ein Held, anbetungswürdig!“

1) Simillimam lunae vesperam illustrantis imaginem proposuit Pindarus Olymp. III, 19 sq.:

„Ἤδη γὰρ αὐτῷ, πατρὶ μὲν βωμῶν ἁγισθέντων,
διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος
ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε Μήνα.“

et Olymp. XI, 73 sq.

„ἐν δ' ἕσπερον
ἔφλεξεν εὐώπιδος
σελάνας ἐρατὸν φάος.“

2) Cf. Catulli c. 62 init.:

„Vesper adest, iuvenes consurgite: Vesper Olympo
Exspectata diu vix tandem lumina tollit.“

ib. v. 26: „Hespere, qui coelo lucet iucundior ignis?“

Latent in Catulli carminibus, quae verum redolent pulcherrimae „Lesbiae“ ingenium, procul dubio plures Sapphonis versus, quos investigent sagaciores. Non solum (ut carmine 51. „Ille mi par esse deo videtur“ celeberrimum illud: „Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν“) integra ille Sapphonis carmina iisdem fere verbis, eodem metro reddidit, verum etiam singulos versus hinc illinc petitos in usum suum convertisse videtur. Contaminatio Comicorum Latinorum, ut simile exemplum suppeditem, notissima res est. Praeter illos, quos iam supra attuli, loci statim occurrerunt qui subsequentur. Catullum illic suspicari licet Sapphonis verba suis expressisse vel certe ante oculos habuisse.

„Ἕσπερε, πάντα φέρεις ὅσα φαίνολις ἐσκέδας' αὔως,
αἶγα σὺ οἶν τε φέρεις, σὺ φέρεις καὶ ματέρι παῖδα.“

Egregie mediae noctis solitudinem, cum occiderint luna ac Vergiliae, describit pulchra illa Sappho. Amorem, quo aeque atque insomniis fatigetur, ingenua et nativa simplicitate profitens, tacita illum mente requirens, viduas se iacere noctes queritur:

„Δέδυκε μεν ἁ σελάνα
καὶ Πληΐαδες, μέσαι δέ
νύκτες, παρὰ δ' ἔρχεθ' ὥρα,
ἔγω δὲ μόνα καθεύδω.“ (fr. 52)

---

c. 3, 6 sq.: „Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem.“
cf. Sapph. fr. 38. „Ὠ; δὲ παῖς πεδὰ μάτερα πεπτερύγωμαι.“

c. 8, 8 sq. Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult, tu quoque impotens ne sis;
Nec, quae fugit, sectare, nec miser vive:
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella: iam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.“
cf. Sapph. fr. 1, 18 sq. „Τίνα δηὖτε Πείθω
μαῖς ἄγην ἐν σὰν φιλότατα, τίς σ', ὦ
Ψάπφ', ἀδικήει;
καὶ γὰρ αἰ φεύγει, ταχέως διώξει,
αἰ δὲ δῶρα μὴ δέκετ', ἀλλὰ δώσει,
αἰ δε μὴ φίλει, ταχέως φιλήσει
κωὐκ ἐθέλοισαν.“

c. 61, 101 sq.: „Non tuus levis in mala
deditus vir adultera,
probra turpia persequens
a tuis teneris volet
secubare papillis.“
cf. Sappho fr. 83: „Δαύοις ἀπάλας ἐτάρας
ἐν στήθεσιν.“

ib. 202 sq.: „Bona te Venus
iuverit: quoniam palam,
quod cupis, capis.“
cf. Sapph. fr. 99: „Ὄλβιε γάμβρε, σοὶ μὲν δὴ γάμος, ὡς ἄραο,
ἐκτετέλεστ', ἔχης δε πάρθενον, ἂν ἄραο.“

c. 85: „Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris?
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.“
cf. Sapph. fr. 26*: „Καὶ ποθήω καὶ μάομαι.“
et fr. 36: „Οὐκ οἶδ' ὄττι θέω· δύο μοι τὰ νοήματα.“

Quod si recte num perspexerim dubites, consimiles Lesbiae reliquiis duos depromam locos recentiorum poetarum perillustrium, ubi manifesta imitationis vestigia deprendisse mihi videor. Alter invenitur in illo Rückerti carmine, quo puella, quae matri morem gerens ad colum vel ad telam stabat, amoris tormenta lepide ac iucunde conqueritur:

„O süße Mutter,
Ich kann nicht spinnen,
Ich kann nicht sitzen
Im Stüblein innen,
Im engen Haus;
Es stockt das Rädchen,
Es reißt das Fädchen,
O süße Mutter,
Ich muß hinaus.“

Insomnem noctem agens (cf. fr. 43: „ὅτα πάννυχος ἄσφιν ἀγρυπνέει“) fervidioris animi puella frustra ardorem cupit fallere, frustra exspectat gratissimam quietem, dum soporifer Somnus, „iucundis fessam impellens alis“, tandem illi premit labantes ocellos:

„Ὀφθάλμοις δὲ μέλαις χύτο νύκτος ἄωρος.“ (fr. 57*)

ac discussis tenebris rosea prodiens Aurora (cf. fr. 18: „ἀρτίως μ' ἁ χρυσοπέδιλος Αὔως“) candidum reducit solem, diem hilarem („λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου“ Aesch. Pers. 296.) Ad talem fere rerum statum [1]) revocanda sunt Sapphonis duo illa carmina

---

cf. Sapph. fr. 90. „Γλύκεια μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον,
πόθῳ δάμεισα παῖδος βραδίναν δι' Ἀφρόδιταν.“,

alter Byronis carmine „Don Iuan“ continetur:

„Oh, Hesperus! thou bringest all good things:
Home lo the weary, to the hungry cheer,
To the young bird the parent's brooding wings,
The welcome stall to the o'erlabour'd steer;
Whate'er of peace about our hearthstone clings,
Whate'er our household gods protect of dear,
Are gather'd round us by thy look of rest;
Thou bring'st the child, too, to the mother's breast.“

cf. Sapph. fr. 95 supra allatum.

Quid vero? Si Sapphonis versus accurate cognoveris, nonne utroque loco, quod ad rem ipsam attinet, plane idem habes? Mihi quidem constat, unde docti illi nostrae aetatis poetae, Graecorum amantissimi, sua petiverint. Apte componitur cum Sapphonis loco priori et Alcaei versus (fr. 59):

„Ἔμε δείλαν, ἔμε πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν.“

Carmen integrum imitatus est Horatius c. III, 12:

„Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino lavere aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.
Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Liparei nitor Hebri.“

1) Qualem accuratius descripserunt elegiis, ubi querelis amantium locus aptissimus, Romanorum poetae, cf. Catulli c. 50, 7 sq.:

Atque illinc abii tuo lepore
incensus, Licini, facetiisque,
ut nec me miserum cibus iuvaret,
nec somnus tegeret quiete ocellos;
sed toto indomitus furore lecto
versarer, cupiens videre lucem,
ut tecum loquerer simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
semimortua lectulo iacebant,
hoc, iucunde, tibi poema feci,
ex quo perspiceres meum dolorem.“

id. c. 68, 5 sq.: „Quem neque sancta Venus molli requiescere somno,
Desertum in lecto coelibe, perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
Oblectant, cum mens anxia pervigilat.“

Tibulli III. 4, 17 sq.: „Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas,
Nec me sopierat, menti deus utilis aegrae,

summopere admiranda, quae integra nobis servata esse gaudemus. Tali certe animi aegritudine afflictam tibi finge puellam, cum precibus adit Venerem, ne amoris cruciatibus opprimi ipsam patiatur, orat atque obsecrat, ut succurrat miserae, abiectam sublevet:

„Ποικιλόθρον', ἀθάνατ' Ἀφρόδιτα,
παῖ Δίος, δολόπλοκε, λίσσομαί σε
μή μ' ἄσαισι μήτ' ὀνίαισι δάμνα,
πότνια, θῦμον·

ἀλλὰ τυῖδ' ἔλθ', αἴποτα κἀτέρωτα
τᾶς ἔμας αὔδως αἴοισα πήλυι
ἔκλυες . . . .

ἔλθε μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον
ἐκ μεριμνᾶν, ὄσσα δέ μοι τέλεσσαι
θῦμος ἰμέρρει, τέλεσον· σὺ δ' αὔτα
σύμμαχος ἔσσο."

Iam devenimus ad illustrem Alcmanis locum, quo solemne noctis silentium perpulchre describitur:

„Εὕδουσιν δ' ὀρέων κορυφαί τε καὶ φάραγγες,
πρώονές τε καὶ χαράδραι,
φύλλα θ' ἑρπετά θ' ὅσσα τρέφει μέλαινα γαῖα,
θῆρές ὀρεσκῶοί τε καὶ γένος μελισσᾶν
καὶ κνώδαλ' ἐν βένθεσι πορφυρέας ἁλός·
εὕδουσι δ' οἰωνῶν φῦλα τανυπτερύγων." (fr. 60)

Falso quidam versibus his, quibus iucundius vix quidquam legi potest, terram brumali torpore sopitam describi putaverunt, id quod probari nullo modo potest. An agnoscis, quaeso, frigoris nocturni hibernaeque mortis imaginem, ubi placida ac tranquilla omnia? 1)

Somnus; sollicitas deficit ante domos.
Tandem, cum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies."

Consimiles alii loci afferri possunt, cf. Catulli c. VI. 6 sq., Propertii I. 3, 35—46 (Cynthiae verba sunt, quae „in molli fixa toro cubitum" graviter compellat poetam sero a coena redeuntem) Prop. I. 12, 13 sq., I, 16, 14. His addas Horatii Epist. I. 1, 20 sq.:

„Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum,
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora. . ."

et suavissimos, si placet, Britannorum poetae Roberti Burns versus hos:

„Long, long the night,
Heavy comes the morrow,
While my soul's delight
Is on her bed of sorrow."

1) Compares alterum Alcmanis fragmentum (51 *), quod felici Bergkii coniectura emendatum ita habes:

„Ῥίπας ὄρος, ἔνθ' ἔσαν εὐναὶ
Νυκτὸς μελανοστέρνω."

Huic adiicias Bacchylidis fr. 40:

„Ἑκάτα δᾳδοφόρε Νυκτὸς μελανοκόλπου θύγατερ."

et Aeschyli fr. 71 Herm.: „εἰς μελανίππου
προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν."

Celebrem Alcmanis locum complures deinceps poetae expressisse videntur. Cf. Orph. Argon. 1007 sq.:

„Κοιμίσσας δ' ὅγε φῦλα πανημερίων ἀνθρώπων,
καὶ ζαμενεῖς ἀνέμων πνοίας καὶ κύματα πόντου,
πήγας τ' ἀενάων ὑδάτων ποταμῶν τε ῥέεθρα,
θῆρας τ' οἰωνούς τε, τά τε ζώει τε καὶ ἕρπει,
εὐνάζων ἤμειψεν ὑπὸ χρυσέαις πτερύγεσσιν."

Notissimi sunt versus Virgilii Aen. IV. 522 sq.:

„Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager; pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti."

Aen. V. 835 sq.:

„Iamque fere mediam coeli Nox humida metam
Contigerat; placida laxabant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:
Cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum et dispulit umbras.
Aequatae spirant aurae; datur hora quieti."

Aen. VIII. 26 sq.:

„Nox erat, et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat."

Eandem noctis imaginem leviter adumbravit Statius Silv. V. 3 sq.:

„Tacet omne pecus volucresque feraeque,
Et simulant fessos curvata cacumina somnos:
Nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
Aequoris, et terris maria adclinata quiescunt."

Pergratam tacitae noctis ac somni imaginem pinxit etiam Apollonius Rhod. Argon. IV, 1058 sq. et III, 746. Alter locus cum genere dicendi mitiori quodam et molliori, tum eximia vi poetica excellit, recentioris iam aetatis vestigia prodens:

„Ὕπνοιο δὲ καί τις ὁδίτης,
ἤδη καὶ πυλαωρὸς ἐέλδετο· καί τινα παίδων
μητέρα τεθνεώτων ἀδινὸν περὶ κῶμ' ἐκάλυπτεν·
οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν
ἠχήεις· σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην."

Animum intende ad dulcissimum illum versum (748), quo „consanguineus Leti Sopor" (Virg. Aen. VI. 278, cf. Hom. Il. XIV, 231 „ὕπνος κασίγνητος θανάτοιο") depingitur. Celebratae sunt similes quaedam et artificum et poetarum imagines. 1)

1) Cf. Virgilii Aen. V, 854 sq.

„Ecce Deus ramum Lethaeo rore madentem
Vique soporatum Stygia super utraque quassat
Tempora, cunctantique natantia lumina solvit."

Anacreonteam quoque, ne quid deesse videatur, addam noctis descriptionem hanc (c. 31):

„Μεσονυκτίοις ποτ' ὥραις,
στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη
κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου,
μερόπων δὲ φῦλα πάντα
κέαται κόπῳ δαμέντα . . .“ (cf. c. 35 init.)

Sublimes denique Euripidis versus laudo, Orest. 174:

„Πότνια, πότνια νύξ,
ὑπνοδότειρα τῶν πολυπόνων βροτῶν,
ἐρεβόθεν ἴθι, μόλε μόλε κατάπτερος
τὸν Ἀγαμεμνόνιον ἐπὶ δόμον.“

et gratissimos Sophoclis, sedes describentis Erinnyum (Oedip. Col. 670 sq.), quas subtiliter „γλυκείας παῖδας ἀρχαίου Σκότου“ appellavit (ib. 106):

„τὸν ἀργῆτα Κολωνόν, ἔνθ' ἁ λίγεια μινύρεται
θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις,
τὸν οἰνῶπ' ἀνέχουσα κισσὸν καὶ τὰν ἄβατον θεοῦ
φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνήλιον
ἀνήνεμόν τε πάντων χειμώνων·
. . . . . . οὐδ' ἄϋπνοι κρῆναι μινύθουσιν
Κηφισοῦ νομάδες ῥεέθρων.“

E recentioribus poetis solam dignam iudicavit iam Welckerus (Alcm. lyrici Fr. p. 26), quae cum vividissima Alcmanis pictura somni compararetur, noctis descriptionem apud Tassonem Gerusal. lib. II. 96 sq.:

„Era la notte allor ch' alto riposo
Han l' onde e i venti, e parea muto il mondo;
Gli animai lassi, e quei che' l mar ondoso,
O de' liquidi laghi alberga il fondo,
E chi si giace in tana, o in mandra ascoso,
E i pinti augelli nell' obblio profondo
Sotto il silenzio de' secreti orrori
Sopian gli affanni, e raddolciano i cori.“

Ovidii Metam. XI. 597 sq., ubi Somni domus prope Cimmerios sita describitur:

„Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat auroram; non voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanaeve sonum reddunt convicia linguae.
Muta quies habitat; saxo tamen exit ab imo
Rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fecunda papavera florent,
Innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
Nox legit et spargit per opacas humida terras.“

Saepius laudatur apud Sophoclem benigna Somni potestas homines aegritudine afflictos mire sopientis: „ὁ παγκρατὴς ὕπνος“ Ai. 675, „ὕπνος ὁ πανταγήρως“ Antig. 606, „ἀλεὴς ὕπνος ἐσθλός“ Philoct. 859.

Veram profecto atque incorruptam spirant antiquitatem isti versus, quos ipsius Virgilii putare possis. Quanto vero discrimine distent a veteribus illis recentiores poetae, statim apparebit, cum celebrem noctis descriptionem Homericam Il. VIII. 555 sq.:

„Ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην
φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ·
ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι
καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπεῤῥάγη ἄσπετος αἰθήρ·
πάντα δέ τ' εἴδεται ἄστρα· γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν.“

comparaveris his versibus Hispanorum poetae Luis Ponce de Leon („Noche serena“):

„Cuando contemplo el cielo
de innumerables luces adornado,
y miro hácia el suelo
de noche rodeado,
en sueno y en olvido sepultado;

El amor y la pena
despiertan en mi pecho una ansia ardiente.
. . . .
¡ Ay! levantad los ojos
á aquella celestial eterna esfera.

¿ Quien mira el gran concierto
de aquellos resplandores eternales,
su movimiento cierto,
sus pasos desiguales,
y en proporcion concorde tan iguales:

La luna como mueve
la plateada rueda, y va en pos de ella
la luz do el saber llueve,
y la graciosa estrella
de amor le sigue reluciente y bella:

¿ Quien es él que esto mira,
y precia la bajeza de la tierra,
y no gime y suspira
por romper lo que encierra
el alma, y de estos bienes la destierra?

Aqui vive el contento,
aqui reina la paz; aqui asentado
en rico y alto asiento
está el amor sagrado,
de glorias y deleites rodeado.

Inmensa hermosura
aqui se muestra toda, y resplandece
clarisima luz pura
que jamas anochece;
eterna primavera aqui florece.“

Sola sub nocte coelum totum astris distinctum et ornatum miratus poeta ad divina eripitur, ad illam summae pulchritudinis sedem, ubi aër semper vernat. Cum Graecorum poetae solis candore unice sint laetati („μόνος ἅλιος ἐν οὐρανῷ“ Simonid. fr. 77), christiani poetae, Persianum illud (sat. I. 1) „Quantum est in rebus inane“ repetentes, coelestia semper spectare, haec humana contemnere iubent, hanc vitam exsilium ac somnium esse docent. Amore illo incensi Platonico, quo animum pulchrarum rerum adspectu erigi fingunt ad divinae pulchritudinis contemplationem, omnia ad Deum ipsum referunt, „l'amor che muove 'l sole e l' altre stelle.“ 1)

---

1) Dante, paradiso c. 33, 148. cf. ib. 20, 1 sq.

„Quando colui, che tutto il mondo alluma,
Dello emisperio nostro si discende,
Che il giorno da ogni parte si consuma;

Desiderii illarum rerum quas extra conspectum natura posuit (si divinum Platonem et Senecam, hominem paene christianum, exceperis) apud veteres pauca tantum vestigia reperiuntur; nec minus illarum rerum, quibus nostra aetate homines maxime gaudent, saltuum reconditorum, solitudinis, liberi prospectus, crebrae commigrationis, ut tum erant tempora, rarae admodum laudes. [1]) Quare etiam suavissimis his summi Britannorum poetae versibus, quibus nox serena depingitur, („Merchant of Venice" V, 1), simile quid apud illos frustra quaesiveris:

„How sweet the moonlight sleeps upon this bank!
Here we will sit, and let the sounds of music
Creep in our ears: soft stillness, and the night,
Become the touches of sweet harmony.
Sit, Iessica: look, how the floor of heaven
Is thick inlaid with patterns of bright gold;
There' s not the smallest orb, which thou behold'st,
But in his motion like an angel sings,
Still quiring to the young-ey'd cherubins:
Such harmony is in immortal souls;
But, whilst this muddy vesture of decay
Doth grossly close it in, we cannot hear it."

Mira haec animi affectuum lenitudo, hoc desiderium molle, tenerum omneque immensum peragrans Graecorum poetis aeque defuisse videtur ac picturae veterum illa ars, qua efficit pictor, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus, musicae arti harmonia. [2]) At acerbissimo quodam casu accidit, ut ipsarum illarum artium, quae, recentioris aetatis maxime propriae, intimos denique repandunt animi recessus, commune sit deplorandum naufragium. Lyrices tantummodo tabulas quasdam pretiosissimas saevam illam tempestatem evasisse, ad nos perlatas esse laetamur.

Pauca sunt, quae addam de consilio in illustrandis lyricorum Graecorum reliquiis a me instituto. Disposui et digessi fragmenta hunc in modum, ut commodum conspectum praeberent, disponendi rationem secutus illam, quam et temporum varietatis annique semper renascentis natura indicabat, et probatam vidi Friderico Schlegel, talium rerum arbitro

---

Lo ciel, che sol di lui prima si accende,
Subitamente si rifà parvente
Per molte luci, in che una risplende.
Oh dolce amor, che di riso ti ammanti,
Quanto parevi ardente in quei flailli,
Che avién spirito sol di pensier santi!"

1) Cf. Hom. Od. XIX. 439—444; Cic. ad Att. XII, 9: „Nihil hac solitudine iucundius . . . cetera noli putare amabiliora fieri posse villa, littore, prospectu maris." ib. 15: „Mane me in silvam abstrusi densam et asperam . . . nihil est mihi amicius solitudine." Seneca Epist. V. 11 („ex edito speculari late longeque subiecta"), Plin. Hist. nat. III. 5, Lucan. Pharsal. l. III, Martial. IV. 64.

2) Optime de arte musica iudicavit Boeckhius (Pind. Opp. p. 253): „Tantum abhorret ab antiquitatis indole nostrae harmoniae ratio, ut eam veteribus displicituram fuisse, si nossent, contendere ausim." Contra apud nos harmonia, quae musicae recentioris praecipua laus est, plurimum valet. Illa enim implet aures nostras, quae ita sunt avidae et capaces, ut semper aliquid immensum infinitumque desiderent.

peritissimo. [1]) Iam vero repetentibus nobis quae supra proposui, hoc certe perspicuum erit, Graecorum poetas non minoris fecisse naturae amoenitates, quam huius aetatis homines, qui vitae urbanae pertaesi illecebras ac strepitum forensem, innocentis ruris desiderio commoti in naturae amplexum confugiunt, alacriorem vitae spem, validas inde, ut Antaeus ille, vires recepturi.

Reiectis quae desperabam nitescere posse vel apte non poterant collocari, illa quae exhibui fragmenta satis ostendent poetarum, qui summi inter Graecos exstiterunt, vestigia manifesta atque expressa. Ex ungue, ut aiunt, leonem: „ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα" (Alcaei fr. 112 *)! Radios dispersos quasi foco colligens, lumina cernes splendida, quae ne incuria hominum sensim exstinguantur, philologorum est ac semper erit, qui sacrum literarum ignem servare debent et nutrire. Quare habe tibi, lector benevole, „quidquid hoc libelli et qualecunque", atque utinam et optimos adolescentes, quibus erudiendis vitam impendere constituimus, perpenso hoc quaestionum lyricarum specimine excitare velis ad altiora studia capessenda! Si qui forte offendant, quod allata a me reperiant plurima aliorum poetarum exempla, ii consulto id a me factum esse sciant, ut Graecos poetas illis nihil omnino cessisse comparantibus constet. Quodsi qui aliter de singulis statuant, rogatos illos volo, ut, si quid noverint rectius istis, candidi impertiant, me vero patiantur regi hac Bacchylidis sententia (fr. 14):

„Ἕτερος ἐξ ἑτέρου σοφὸς τό τε πάλαι τό τε νῦν·
οὐδὲ γὰρ ῥᾷστον ἀρρήτων ἐπέων πύλας
ἐξευρεῖν."

---

1) Die Poesie soll nicht bloß den Menschen, sondern auch die ihn umgebende Natur zum Inhalt und Gegenstande ihrer Darstellung wählen. Sie soll uns ein Bild geben von der gesammten äußern Erscheinung der Natur. Dazu dient, was der Frühling irgend Erquickendes und Belebendes hat, das Edelste, was die Thierwelt an Gestalt und Leben, das Schönste und Lieblichste, was die Pflanzen- und Blumenwelt darbietet, alles, was in den äußern Veränderungen am Himmel und auf der Erde dem Auge der Menschen erhebend oder doch bedeutend erscheint. Alle diese Naturschilderungen und Naturgefühle dürfen aber in der Poesie nicht abgesondert werden von der Darstellung des Menschen, deren schönste Zierde sie bilden. Ueppige Beschreibungen, auch wenn sie wahr sind, ermüden und verfehlen die Wirkung. Einzelne Blumen aber aus der Fülle der Natur, an der rechten Stelle eingeflochten in das Gewebe der Dichtkunst, sind der herrlichste Schmuck desselben." Geschichte der alten und neuen Literatur I. p. 81 sq.


COLUMBIA UNIVERSITY
0032202210

